Kaeberlin on Livy


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

# DE PARTICIPIORUM USU LIVIANO CAPITA SELECTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**ALFREDUS KOEBERLIN**

SUEVOFURTENSIS.

ERLANGAE

TYPIS IUNGII ET FILII

MDCCCLXXXVIII.

# De participiorum usu Liviano capita selecta

scripsit

**Alfredus Koeberlin.**

## Caput prius: De usu Liviano in iungendis participiis liberiore disputatiuncula.

### Conspectus.



---

## Praemittenda.

§ 1.

Apud T. Livium non solum participium, quod nominamus relativum, cum participio absoluto ita coniungi, ut intercedant particulae copulativae 'et', 'que', 'ac', 'atque', 'nec', 'neque', verum etiam adiungi praecedenti participio enuntiatum secundarium coniunctionale per particulas, quas prorsus supervacaneas opineris, copulativas 'et', 'atque', paucis adhuc inter homines doctos dignum visum est, quod notetur.

Quam Liviani sermonis proprietatem ut perscrutarer accuratiusque perspicerem compulsus a magistro benevolentissimo Augusto Luchs, perlectis Livii, Curtii, Flori operibus collectisque, quod speraverim omnibus, quae huc pertinent locis aliquantulum fructus percipi posse ex hac disputatiuncula ad illustrandum genus dicendi Livii proprium, Ciceroni aureaeque quos dicunt aetatis scriptoribus alienum arbitratus libentissime in persequendo proposito mihi in mentem revocavi Luchsii verba, quibus aliquid conferri posse accurata huius rei disquisitione ad eam syntaxis Livianae partem, quae est de ambitu et comprehensione verborum, significavit.

Quod ad Livianos locos pauci qui exstant Curtiani accesserunt nec non exhibiti sunt ad comparandum Tacitini et qui afferuntur hic et illic e scriptoribus Graecis, et subtilitatem commentationis augere neque perspicuitatem obscurare videtur mihi.

## Prolusio.

§ 2.

Itaque quas invenimus apud Livii aliorumque editores et commentatores et hunc vel illum grammaticorum adnotationes dispersas de structura illa inusitata audacique percenseamus, ut inde proficiscamur ad enumeranda, certo ordine disponenda, penitus inspicienda exempla.

Georgius Ludovicus Walchius, qui anno 1815 Berolini, 'emendationes Livianas', dignas, quae hodie legantur, in lucem edidit, p. 3 haec scripsit: 'Neque reperias scriptorem, qui ad-

suetum Tulliana concinnitate lectorem deludat frequentius; cuius in tanta dulcedine maior sit orationis durities, periodorum vel tortuoso ambitu (saepe etiam imperfecto) vel iuncturae quaesita neglegentia'.

Haec verba, quamvis summatim scripta sint de sermone Liviano, tamen quin usum, de quo nobis est agendum, attingant quodammodo, quis est qui dubitet?

Guilelmus Weissenbornius, etsi virum doctissimum optimeque de Livio meritum in commentario editionis suae Weidmannianae ad locos 5, 18, 5; 22, 19, 11; 25, 35, 2 haudquaquam fugit structura illa insolenter posita, tamen his locis alios quoque eiusmodi afferre satis habet neque quidquam notat nisi nonnunquam inveniri apud Livium hunc usum solutiorem, quem eodem modo iudicandum esse putat ac iuncturam adiectivi et ablativi vel genetivi qualitatis, ut apud Livium 25, 36, 5 . . . nudus tumulus et asperi soli . . . .

Plures editorum adnotationes, quatenus pertinent ad exponendos singulos locos, sicut quam exhibet H. J. Mueller in editione Livii libri XXV ad scholarum usum commentario instructa anni 1879 sub 25, 35, 2 infra, data occasione, afferentur.

## § 3.

Ubi plurima, quae illustrent hanc quam sibi in iungendis participiis sumpsit Livius licentiam, exspectes, in Kuehnastii syntaxi Liviana (ed. 2. anni 1872), subtiliorem rei tractationem desiderabis. Nam quod pag. 258 s. f. legimus: „Dagegen kann man die Copulation von cas. abs. mit dem Part. constr. (selten vor Livius, Liv. 25, 35, 2; 1, 28, 10, (wo Weissenborn mehr Stellen citiert) etc. zu den Anakoluthen zählen", rem leviter tactam insuper turbare neque sufficere ad expediendam rem probabitur.

Multo magis adiuvamur iis, quae C. W. Krueger attulit in grammaticae Graecae editione quinta anni 1875 § 56, 14 pag. 220.

Postquam enim particulas et copulativas et adversativas usurpari posse dixit ad coniungenda participia, quae non modo significatione, sed etiam forma discrepant inter se, in adnotatione altera pergit hunc fere in modum:

'Quod vero cum genetivo participii relativi coniungitur absoluti participii genetivus; cum genetivo absoluto nominativus

vel dativus participii relativi; nominativus participii relativi cum genetivo absoluto; dativus participii relativi cum nominativo, non minus mireris. Qui usus in lingua quoque Latina, liberrimus apud Livium, saepe falso iudicantibus grammaticis editoribusque, invenitur[2].

Ut quod docuit exemplis probet ornetque, confert ex Thucydide septem, sex e Xenophonte, e Platone quattuor, duo e Lysia, e Demosthene et Isocrate singula, de quibus infra disputabitur.

In grammaticis autem auctioribus nuperrime editis, ut Kuehneri grammatica Latina auctiore anni 1878, Draegeri synt. hist. ed. 2. anni 1878, Grossravii gramm. Latina anni 1880 (ed. 2.) vix leviter perstrictam invenies eam de qua agitur rem.

§ 4.

At plura debemus Nipperdeii, Taciti editoris (ed. 7. anni 1879, curata ab G. Andresen) argutis ad Taciti annales adnotationibus sub I, 55 et III, 11, quibus iam apud aureae aetatis scriptores nonnunquam rem unam arteque conexam in duas dissolvi notiones interposita coniunctione copulativa docet, frequentius hoc et obvium in Taciti scriptis esse affirmat, multisque exemplis e Cicerone (1), Caesare (1), Livio (3), Tacito (25) allatis rem probat, apud Thucydidem similia exstare sub finem addit.

His adiciamus, quae Theodorus Vogel in prolusione editionis Curtii commentario instructae (Lips. apud Teubn. ed. 3. a. 1885 fasc. I.) § 152 et § 167 in appendice prolusionis exponit: haud raro eam esse particulam copulativam apud Curtium, quam supervacaneam deleas et molestam, sicut si contrariae inter se opponantur sententiae (3, 3, 22; 4, 9, 5; 6, 4, 17; 7, 3, 17; 9, 10, 7); si participia imparia iungantur (Curt. 3, 7, 14; 7, 11, 8; 10, 8, 3); si numeralia afferantur hisque similia.

Porro docet Curtium variandi causa saepius sermonis concinnitatem neglegere. Quae enim submissione iungi soleant, nomina et enuntiata secundaria, varii generis participia, participia et enuntiata secundaria, adiectiva et substantivorum casus quosdam, nomina, quibus designentur populi et terrae, sui iuris facta interpositis particulis iungi. Huiusmodi exempla conquisivit: Curt. 4, 12, 8; 7, 2, 21; 8, 6, 20; 9, 2, 1; 9, 7, 1. —

## § 5.

Haec et alia id genus in scriptis grammaticorum nostratium dispersa atque dissipata conexa sibi sumpserunt non tam de suis augentes viri duo bene de Livio meriti, Harant (emendationes et adnotationes ad Titum Livium, Lutet. Paris. 1880.) et Otho Riemann (études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, 2ième edition, Paris, Thorin 1885).

Harant enim l. l. pag. 112 cognitam ex multis exemplis structuram adhibet ad restituendas nonnullas lectiones codicum, sicut tueri conatur 25, 14, 8 codicis Puteani lectionem similemque positam a Livio esse 41, 26, 3 arbitratur nisus codicis auctoritate.

Otho Riemann vero in praefatione libri sui egregiis observationibus pleni p. 24 suo iure veram, non ut fieri solet, fictam inter Ciceronis Liviique genus dicendi discrepantiam explicare conatur his fere verbis: „D'un autre côté au lieu que Cicéron recherche, en general, avec soin la symétrie de l'expression, T.-Live, comme Salluste prefère souvent varier à dessein, et l'on rencontre déjà chez lui de temps en temps ce manque de symétrie voulu qui sera un des traits caractéristiques du style de Tacite.“ Quae ut illustrentur, haud parvum collegit exemplorum numerum, quae commixta confusaque si discernas atque certum in ordinem redigas, usui sint haud spernendo ad accuratiorem structurae illius cognitionem.

Breves has adnotationes ex aliorum scriptis excerptas ut finiam, viri inter nostrates doctrina et literarum scientia excellentis, Bernhardii dicta reddam, quae inveniuntur in historiae literarum Latinarum editione quarta anni 1865 pag. 671, ubi de Livii sermonis compositione laudata eloquentia eius et venustate disserit hoc fere modo: „At Livii elegantia et orationis ubertas aucta non est concinnitate, cuius adeo est neglegens, ut de industria laedat sententias variando ne veritus quidem duriorem verborum sententiarumque collocationem et conformationem.“

Haec fere sunt quae comperta habeo de hac generis dicendi Liviani proprietate, quam pertractandam suscepi, undique collecta ex commentariis, conquisita ex grammaticis variique argumenti libris.

## § 6.

### Commentationis propositio et partitio.

Insequentis autem explicationis primum erit exemplaLiviana, quae illam participiorum iuncturam inusitatam exhibent, omnia enumerare adiectis collatisque Curtianis et Tacitinis paucis, quae exstant, ita ut facile cernantur, distinguantur, in certos ordines distribuantur. Sic de usus frequentia vel, si mavis, infrequentia certiores facti simul finibus eius circumscriptis in quaestionem vocabimus, quomodo illa participiorum commissura sit orta et quid qui usi sint ea voluerint scriptores, quem Livio locum assignes in novanda propagandaque constructione et quatenus secuti sint eum imitatores.

His diligenter pervestigatis accessionem confici posse spero parvulam eorum grammaticae praeceptorum, quae pertinent ad verborum sententiarumque concinnitatem cum Liviani tum, in universum si spectes, totius latini sermonis simulque aliquid usui fore confido studiis historiae grammaticae Latinae nostra aetate florentissimis.

## Caput I.

## § 7.

Proponantur igitur et ordine enumerentur exempla ad formae tantum normam redacta nulladum sententiae ratione habita!

I. Ablativum absolutum praecedentem sequuntur coniuncti interpositis particulis copulativis.

A. participii relativi nominativus:

a. nominativus pluralis participii relativi praesentis activi:

Liv. 1, 29, 3[1]) . . . . maestitia ita defixit animos, ut prae metu (obliti delet Madvigius emend. Liv. ed. 2. s. l.), quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios in liminibus starent, nunc errabundi domos suas ultimum illud visuri pervagarentur.

---

1) cf. Titi Livi a. u. c. libri. iterum recognovit Wilh. Weissenborn. (part. III rec. Mauritius Mueller) Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri 1877—1885. Praeter has quas comparavimus editiones invenies infra in appendice critica.

Liv. 25, 35, 2 quo ubi est ventum, inter exercitus ducesque victoria recenti laetos gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes.

b. nominativus singularis participii perfecti passivi relativi:

Liv. 7, 11, 1 Et hercule tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepide castris, in Tiburtem agrum atque inde, societate belli facta commeatuque benigne ab Tiburtibus adiutus mox in Campaniam transierit.

Liv. 22, 22, 15 homini non ad cetera Punica ingenia callido ut persuasit, nocte clam progressus ad hostium stationes, conventis quibusdam auxiliaribus Hispanis et ab his ad Scipionem perductus, quid adferret, expromit.

Liv. 25, 14, 8 iam et consul, ad conspectum transgredientium vallum mutato consilio ab revocandoque[1]) ad incitandos hortandosque versus milites, ostendere, in quanto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorum et civium legio esset.

c. nominativus singularis participii perfecti deponentis:

Liv. 28, 8, 12 inde, conlaudata fide ac virtute, quod neque timor neque spes flexisset eorum animos, hortatusque, in posterum ut eadem constantia permanerent in societate, . . ab Chalcide Oreum navigat . . . .

Liv. 41, 26, 3 Ap. Claudius signo proposito pugnae ac[2]) paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit.

B. participii relativi casus obliqui:

Curt. 4, 6, 25 Betim egregia edita pugna multisque vulneribus confectum deseruerunt sui.

---

1) Hanc cod. Puteani scripturam tuetur Harantius, cum scribat M. Mueller 'ab resistendo revocandoque', A. Luchsius Em. Liv. II 10 'ab revocando recipiendoque' vel 'ab revocando reducendoque'.

2) Nulla codicis lectionis ratione habita delet Weissenbornius particulam ac, quam restituit Harant.

II. Participium, quod praecedit relativum, sequitur ablativus absolutus interpositis particulis copulativis.

A. Ablativus absolutus participii praesentis activi casus obliquos:

Liv. 24, 9, 9 absens Marcellus consul creatus, cum ad exercitum esset, praesenti Fabio atque ipso comitia habente consulatus continuatus.

Tac. ann. 3, 11 Post quae reo L. Arruntium, P. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sextum Pompeium patronos petenti iisque diversa excusantibus M'. Lepidus et Lucius Piso et Livineius Regulus adfuere, arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo.

B. Ablativus absolutus participii perfecti passivi sequitur:

a. participii relativi praesentis activi casum obliquum:

Liv. 5, 18, 5 hunc ego institutum disciplina mea vicarium pro me rei publicae do dicoque, vosque quaeso Quirites, delatum mihi ultro honorem huic petenti meisque pro eo adiectis precibus mandetis.

b. participii relativi perfecti passivi

α. nominativum:

Liv. 22, 19, 11 itaque non ab hoste et proelio magis Poeni quam suomet ipsi tumultu turbati et temptata verius pugna quam inita in fugam averterunt classem.

Liv. 38, 44, 8 Quibus religionibus liberati consules et dilectu perfecto — novis enim uterque maluit uti militibus — in provinciam profecti sunt veteresque omnes dimiserunt.

β. casus obliquos:

Liv. 24, 40, 5 M. Valerius MM. praesidio relicto praepositoque iis P. Valerio legato cum classe instructa parataque et, quod longae naves capere non poterant, in onerarias impositis altero die Oricum pervenit.

Curt. 3, 7, 14 [1]) Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam et ignoti

---

1) cf. Theodori Vogel editionem commentario instructam anni 1885, ubi et particulam uncis inclusit.

anuli sigillo inpresso, Siseni dari iusserat ad aestimandam fidem barbari.

c. nominativum participii relativi perfecti verbi deponentis:

Liv. 25, 23, 15 Id ubi accepit Marcellus, cum paucis tribunorum militum conlocutus electisque per eos ad rem tantam agendam audendamque idoneis centurionibus militibusque et scalis in occulto comparatis, ceteris signum dări iubet, ut . . . .

42, 13, 12 Functus necessario mihi officio et quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam uti deos deasque precer, ut vos et vestrae rei publicae et nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?

42, 38, 2 inde in Aetoliam progressi ac paucos ibi morati dies, dum in praetoris mortui locum alius sufficeretur, et Lycisco praetore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam.

43, 21, 5 Et Perseus Elimeam profectus et circa eam exercitu lustrato, ad Stratum vocantibus Epirotis ducit.

44, 1, 4 inde consul ad Ambraciam egressus itinere terrestri petit Thessaliam, praetor superato Leucata Corinthium sinum invectus et Creusae relictis navibus terra et ipse per mediam Boeotiam . . . Chalcidem ad classem contendit.

44, 28, 4—5 cognito deinde in latere altero quinquaginta onerarias suarum stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius praeerat, inclusas esse, circumvectus[1]) propere ac summotis terrore hostium navibus, onerarias in Macedoniam mittit.

Quibus exemplis in medium prolatis pauca adiciam de ratione, quam secutus sum in colligendis iis proponendisque.

Omnibus enim summa qua potui diligentia perlustratis ea, in quibus dubia minusque expressa inest illa iuncturae proprie-

---

1) Sic scribit Madvigius; Weissenbornius . . . circumvecti . . . mittunt.

tas, omnia remota reservavi ad eam, quae erit de constructionis origine atque incremento, quaestionem.

Nam veritus, ne in eosdem, quos ne Weissenbornius quidem et Nipperdeius vitaverunt, errores inciderem, minore exemplorum numero contentus rei tractationem suscipere malui quam uti confusis minusque inter se cohaerentibus testimoniis.

§ 8.

Ceterum paucos e Livio locos, quibus demonstratur vel enuntiata secundaria inveniri particulis copulativis adiuncta antecedenti participio relativo excerpamus necesse est:

Liv. 25, 16, 22 maior quam pro numero hominum editur pugna: iaculis maxime aperta corpora Romanorum, et cum undique ex altioribus locis in cavam vallem coniectus esset, transfiguntur.

31, 24, 3 a qua destitutus spe nec quicquam aliud quam ad deforme spectaculum semirutae ac fumantis sociae urbis cum venisset . . . aeque raptim ac venerat . . . Athenas ducit.

36, 10, 12 ibi castra metatus latius quam pro copiis et plures quam quot satis in usum erant ignes cum accendisset, speciem quam quaesierat hosti fecit omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse.

## Caput II.

§ 9.

Exsistit nunc quaestio, qua ratione illa iunctura orta sit quaeve res valuerint aliquid ad conformandam hanc et excolendam et amplificandam orationis Livianae proprietatem

Qua nihil facilius esse alius atque alius ratus haud parvo numero exemplorum e Graecis scriptoribus conquisitorum totam utique constructionem e Graeco sermone translatam esse demonstrabit. Huic rei testimonio esse locos, quales collectos exstare a nonnullis grammaticis et commentatoribus, inprimis C. W. Kruegero l. l., in prooemio commentationis dixi et hoc loco insertos volo:

Thucyd. 1, 67, 1 *οὐχ ἡσύχαζον, ἀνδρῶν τε σφίσιν ἐνόντων καὶ ἅμα περὶ τῷ χωρίῳ δεδιότες.*

Thucyd. 8, 106 *οἱ δὲ ἀφικομένης τῆς νεὼς καὶ ἀνέλπιστον τὴν εὐτυχίαν ἀκούσαντες . . . πολὺ ἐπεῤῥώσθησαν.*

Xen. exp. Cyr. 1, 10, 6 *Οἱ Ἕλληνες παρασκευάζονται ὡς ταύτῃ προσιόντος (βασιλέως) καὶ δεξόμενοι.*

Isocrat. 6, 8 *Αἰσχυνοίμην ἄν, εἰ γεγονὼς μὲν ἀφ᾽ Ἡρακλέους, τοῦ δὲ πατρὸς βασιλεύσαντος, αὐτὸς δ᾽ ἐπίδοξος ὢν τυχεῖν τῆς τιμῆς ταύτης περιίδοιμι τὴν χώραν τοὺς οἰκέτας τοὺς ἡμετέρους ἔχοντας.*

Thucyd. 4, 29 *πάντα διαπραξάμενος. . . καὶ ψηφισαμένων Ἀθηναίων αὐτῷ τὸν πλοῦν τῶν τε ἐν Πύλῳ στρατηγῶν ἕνα προσελόμενος Δημοσθένην τὴν ἀγωγὴν διὰ τάχους ἐποιεῖτο.*

Thucyd. 8, 45, 1 *Ἀλκιβιάδης τοῖς Πελοποννησίοις ὕποπτος ὢν καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν ἀφικομένης ἐπιστολῆς ὥστ᾽ ἀποκτεῖναι ὑποχωρεῖ παρὰ Τισσαφέρνην.*

Plat. Prot. 319 *Οὐδαμόθεν μαθὼν οὐδὲ ὄντος διδασκάλου οὐδενὸς αὐτῷ ἔπειτα συμβουλεύειν ἐπιχειρεῖ.*

Xen. exp. Cyr. 7, 1, 21 *εἰσήλθομεν εἰς τὸν πόλεμον ἔχοντες τριήρεις οὐκ ἐλάττους τετρακοσίων, ὑπαρχόντων δὲ πολλῶν χρημάτων, ἄρχοντες δὲ τῶν νήσων ἁπασῶν.*

Thucyd. 2, 25, 1 *τῷ τείχει προσέβαλον ὄντι ἀσθενεῖ καὶ ἀνθρώπων οὐκ ἐνόντων.*

Thucyd. 4, 8, 3 *ἤλπιζον ῥᾳδίως αἱρήσειν οἰκοδόμημα διὰ ταχέων εἰργασμένον καὶ ἀνθρώπων ὀλίγων ἐνόντων.*

Xen. exp. Cyr. 2, 4, 22 *τὰ ἐπιτήδεια εἶχον ἐκ τῆς ἐν μέσῳ χώρας πολλῆς οὔσης καὶ ἀγαθῆς καὶ τῶν ἐπιτηδείων ἐνόντων.*

Thucyd. 6, 42, 2 *ἐνόμιζον τῶν Συρακοσίων τοὺς ἱππέας πολλοὺς ὄντας, σφίσιν δ᾽ οὐ παρόντων ἱππέων ἂν μεγάλα.*

Plat. rep. 272 *καρποὺς ἀφθόνους εἶχον οὐχ ὑπὸ γεωργίας φυομένους, ἀλλ᾽ αὐτομάτης ἀναδιδούσης τῆς γῆς.* —

His exemplis Graecis, quorum numerus facile augeri potuit, ex eadem profectis origine idem significari demonstrarique

ac Latinis Livii, Curtii, Taciti apparet. Ergo si Kuehnastii aliorumque disserendi rationem sequerer, e Graeco sermone hunc Latinorum scriptorum, ut sunt plerisque in rebus Graecorum imitatores, usum fluxisse contenderem hac facillima opportunissimaque originis explanatione valde delectatus.

At hac ne contentus sim praeter cetera moneor Othonis Riemanni verbis, quae haud inconsiderate dicta mihi videntur in prooemio libri eius ed. 2. pag. 16 sqq.:

„Depuis le livre de Kühnast sur la syntaxe de T.-Live c'est devenue une affirmation à la mode de dire que la langue de T.-Live est „remplie d'hellénismes". A mon avis rien n'est plus faux; je suis convaincu au contraire qu'il y a très peu d'hellénismes dans la prose latine de l'époque classique en général et chez T.-Live en particulier. Pour peu qu'une construction latine qui sort un peu de l'ordinaire ait son équivalent en grec, on se hâte de dire que c'est un hellénisme; c'est par ce raisonnement-là que Kühnast démontre que „presque toutes les particularités de la syntaxe de T.-Live sont des hellénismes". Autant vaudrait dire, à ce compte, que, lorsque les Anglais disent „he would rise" = il avait l'habitude de se lever, ils font un hellénisme, sous prétexte que le même emploi, très remarquable, du conditionel pour designer une action qui s'est répétée dans le passé existait aussi en grec (*ἀνέστη ἄν*). Qui dit hellénisme dit i m i t a t i o n v o u l u e de la syntaxe grecque; un hellénisme, c'est la tentative que fait un écrivain d'introduire dans sa langue une construction qui était jusqu'alors inconnue à cette langue et qu'il emprunte au grec. „Regnavit populorum" chez Horace (Od. 3, 30, 12) „iustitiaene prius mirer (te) . . .?" chez Virgile (Aen. 11, 126) voilá très probablement des hellénismes, car ce ne sont pas seulement des constructions grecques, mais de plus ce sont des constructions contraires au genie de la langue latine. Au contraire quaerere si „demander si" n'est nullement un hellénisme, quoique cette construction corresponde à *ἐρέσθαι εἰ*: l'emploi interrogatif de la particule qui sert en même temps de particule conditionelle était sans doute commun à l'origine aux deux langues; seulement en grec il s'est maintenu dans la prose litteraire, au lieu qu'en latin il est devenu de bonne heure vulgaire ou poëtique".

Haec omnia ad verbum excerpta e Riemanni libro digna sunt, quae otiose atque diligenter contempleris.

Nam, etsi nemo neget Riemannum argute et perspicue disserere de quaestione, quae quidem nequaquam est neglecta a nostris hominibus doctis — commemorare velim E. Hoffmanni hac de re praecepta —, tamen multum abest, ut plane illi assentiamur, qui in contrarium errorem atque ii, quos vituperat, videtur incidisse. Nam ut hi omnia fere in lingua Latina, quae similitudinem quandam prae se ferunt cum Graeco sermone, e Graecis repetentes hac ratione explanandi difficiles quaestiones grammaticas longius progressi sunt, ita ille angustioribus finibus inclusit rem, nimia severitate parum respiciens, quanta vi Livii aetate cum mores consuetudinesque Graecorum tum Graeca lingua Romanorum vitam et publicam et privatam complexa sint. Rectius igitur discerneret in lingua Latina praeter imitationes linguae Graecae quaesitas de industria eas, quae, tacite, ut ita dicam, irrepserunt in sermonem cotidianum et opera scriptorum.

Non igitur, ut rei summam faciamus, sufficit verborum structuraeve consensio quaedam, sed ex Graeco sermone in Latinum receptam esse structuram iure neges, nisi aliena sit a Latino genere dicendi et pure, ut ita dicam, redoleat Graecorum in componenda oratione morem atque usum.

Quod nonne quadret ad hanc, quam tractandam suscepimus structuram, si quaesiverit quispiam, summo iure negabimus: Nam etsi forma inter se conveniunt periodi et Graecae et Latinae, tamen sui iuris esse atque quae ex sermone vere Latino emanaverit videtur constructio. An repugnat cum linguae Latinae ratione atque usu? Nonne libertas quaedam in iungendis sententiis et neglegentia, e cotidiano sermonis usu profecta, excoli potuit aevi Augustei in elocutione componenda maiore licentia? Nonne Livii aetatem non tam concinnitatis rotundae orationis quam locupletissimae variationis et exquisitioris munditiae cupidam atque studiosam fuisse notissima res est?

Quae cum ita sint, participiorum illam iuncturam haudquaquam e Graecis translatam raptamve, sed natam esse ex cotidiano Latino sermone, e temporis ratione atque inclinatione, abalienato scriptorum sensu a prisca simplicitate, persuasissimum habeo.

## § 11.

Quod ad maiorem perspicuitatem perduci posse arbitror proferendo singula membra, quibus structuram illam praeparatam meditatamque inferri appareat. Quod modo dixi imprimis Augustei aevi et scriptores et lectores in deliciis habuisse variationem, huius vestigia ubique animadvertentes persequendo rem et progrediendo adducemur ad eam, quam peculiariter tractare in animo habemus Livianam dicendi proprietatem.

Livius igitur, ut erat accommodatus ad commune aequalium suorum iudicium et studiosus elegantioris exquisitiorisque dicendi generis, iuncturam illam participiorum admisisse videtur exsequendo quas multas apud eum aliosque invenias in verbis sententiisque componendis mutationes variationesque[1].

Qua ratione, a simplicissimo procedens usu ad liberrimum, in eundem ordinem coegit et singularem substantivi collectivum et pluralem: huius rei exempla e Riemanni libro excerpta (§ 7) huc inserere volo luculentissima:

| | |
|---|---|
| Liv. 2, 45, 3 | . . . Veiens hostis Etruscique . . . |
| 3, 17, 12 | . . . ne Sabini neu Veiens hostis moveretur . . . |
| 10, 27, 3 | . . . Samniti Gallisque . . . |
| 21, 44, 1 | . . . veteranum peditem, generosissimarum gentium equites . . . |
| 23, 21, 2 | militi ac navalibus sociis. . . |
| 26, 20, 8 | . . . artiorem annonam sociis quam hosti . . . |
| 27, 2, 6 | . . . Hispani milites et funditor Balearis . . . |
| 31, 21, 15 | . . . ab equitibus et . . a pedite . . . |
| 37, 41, 11 | . . . et levis armatura et expediti funditores et velox Cretensis . . . |
| 40, 43, 7 | militibus . . . centurionibus . . . equiti. |

Eadem ratione substantivorum, quae adverbii loco praedicato adiunguntur profert casus obliquos et nude positos et pendentes ex praepositionibus: id quod iam invenitur apud prioris temporis scriptores (cf. Draeger, synt. hist. ed. 2. I pag. 604):

Caes. b. c. 3, 55 . . . per vim expugnare . . . amicitia conciliare.

---

1) Confer etiam Naegelsbach-Muelleri de genere dicendi Latino et arte componendi sermonis Latini librum § 32 sqq.

Sall. Jug. 7 . . . neque per vim neque insidiis . . .
„ „ 23 . . . aut per vim aut dolis . . .
Liv. 1, 17, 1 . . . per vim aut factionibus[1]) . . .
2, 42, 10 . . . nunc extis nunc per aves . . .
6, 3, 10 . . . non vi captum, sed traditum per condiciones.
6, 29, 7 . . . non vi, sed per deditionem
7, 30, 17 . . . potius beneficio . . quam . . per maleficium.
39, 8, 8 . . . multa dolo, pleraque per vim . . .

Eiusmodi structuras etiam crebrius inveniri apud Tacitum probat Draeger, de syntaxi et elocutione Taciti § 105.

Has variationes ut excolendo amplificet, Livius ad idem verbum vel adiectivum obiectum et nude positum et aptum ex praepositionibus refert:

Liv. 4, 27, 4 . . . non parvis modo excursionibus ad proelia, sed vel ad explicandas . . acies satis patentem (sc. planitiem).
5, 9, 2 . . . fatalis dux ad excidium illius urbis servandaeque patriae M. Furius Camillus dictator dictus . . .
9, 33, 5 . . . nec in vulgus quam optimo cuique gratiorem . . .
34, 52, 11 . . . duceni quinquageni aeris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti . . .
45, 34, 5 . . . tantaque praeda fuit, ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur.

Eo procedit, ut substantivo praecedente adiectivum, quod respondeat, vel etiam adverbium ponat.

Liv. 3, 62, 6 proelium fuit, quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaeque alterum gloriae, alterum nova victoria elatum.
22, 45, 7 laevum cornu extremi equites sociorum, intra pedites . . tenuerunt.
31, 46, 11 ceterum non plures tantum Macedones quam ante tuebantur urbem arcesque sed etiam praesentiori-

---

1) Sic legitur in editione Guil. Weissenbornii Teubneriana anni 1885; Madvigium et M. Hertzium scripsisse . . pervenerat; factionibus . . . haud fugit me.

bus animis et castigationibus regis in admissa culpa et simul minarum simul promissorum in futurum memores.

Liv. 43, 19, 7 et maiore aliquanto quam cetera iuventute et validum oppidum moenibus erat.

Curt. 9, 2, 1 tertio die amnem superare decreverat, transitu difficilem non spatio solum aquarum, sed etiam saxis inpeditum.

Nonnunquam respondet antecedenti substantivo participium.

a. relativum:

Liv. 22, 23, 10: cum tertia (sc. parte) ipse expedita in statione erat simul castris praesidio et circumspectans, necunde impetus fieret.

23, 36, 8 . . . magis verecundia . . . quam satis fidens exercitui.

24, 8, 8 . . nobis . . in apparatu ipso ac tantum incohantibus res annus circumagitur.

Curt. 8, 12, 3 . . . sive odio ducis sive gratiam victoris inituri.

Tac. ann. 13, 25 Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit impunitate et praemiis atque ipse occultus et plerumque coram prospectans.

b. absolutum:

Liv. 1, 46, 2 . . (Tarquinius) . . et ipse iuvenis ardentis animi et domi uxore Tullia inquietum animum stimulante.

38, 5, 7 noctem certam tempusque etiam noctis constituit, quo et illi ab urbe opera hostium, quae adversus Pyrrheum erant, adgrederentur, et ipse ad castra Romana terrorem faceret, posse ratus ancipiti tumultu et nocte augente pavorem memorabilem rem geri.

Antecedente substantivo rerum scriptor alterum structurae membrum enuntiato secundario coniunctionali vel interrogatione pendente denotat:

Liv. 1, 1, 1 . . . et vetusti iure hospitii et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerunt.

1, 14, 3 seu ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria caesum credebat.

2, 11, 2 navibus undique accitis et ad custodiam, ne quid

Romam frumenti subvehi sineret, et ut praedatum milites trans flumen . . . traicerent.

Liv. 24, 45, 14 . . . quaestione habita primum de fuga Altini, dein quantum . . . relictum esset.

40, 27, 8 Omnes portas contionabundus ipse imperator circumiit et . . . iras militum acuebat, nunc fraudem hostium incusans . . . nunc, quantus pudor esset, edocens ab Liguribus, latronibus verius quam hostibus iustis, Romanum exercitum obsideri.

40, 31, 7 . . . clamore non tantum ad ardorem pugnae excitandum sublato, sed etiam, ut, qui in montibus erant, exaudirent.

42, 41, 9 et haec quidem mihi tamquam causam dicenti reo obiecta sunt, illa tamquam regi et quae de foedere, quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant.

Curt. 4, 12, 8 Postero die Mazaeus . . . sive metu, sive quia speculari modo iussus erat . . .

Similiter positi videntur esse, ut longius prosequamur scriptorum in usu exornando amplificandoque progressus, genetivus vel ablativus qualitatis, qui praecedenti adiectivo praedicative posito respondeant:

Liv. 25, 36, 5 sed erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut . . .

32, 15, 6: et est iter a Gomphis Ambraciam sicut impeditum ac difficile, ita spatio perbrevi.

Huc inserendum videtur mihi, quod legimus participia, quae in adiectivi praedicativi significationem abiere, excepta casibus substantivi obliquis, qui quodammodo haesitant inter ablativum absolutum et ablativum qualitatis [1]).

Liv. 26, 12, 19 ii supra septuaginta comprensi et cum transfugis novis mulcati virgis manibusque praecisis Capuam rediguntur.

Curt. 4, 10, 25 . . in tabernaculum regis perducitur, gemens et veste lacerata.

Adiectivo nonnunquam respondet enuntiatum secundarium:

---

1) Confer etiam Th. Vogel, prolus. Curtian. § 97 et 127.

Liv. 1, 32, 2 qui (sc. Ancus Marcius) ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat... omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata proponere in publico iubet.

Liv. 1, 34, 7 facile persuadet ut cupido honorum et cui Tarquinii materna tantum patria esset [1]).

His adnumerem exemplum, quo participium absolutum et enuntiatum secundarium coniunctionale inter se cohaerent:

Liv. 38, 5, 10 id inceptum conatu quam effectu gravius fuit, quia nulla ab exteriore parte vis admota est, seu metu deterrito praetore Aetolorum, seu quia potius visum est Amphilochis nuper receptis ferre opem, . . .

Adiunguntur denique praecedenti adiectivo in eundem ordinem coacta participia:

Liv. 2, 11, 10: ita caesi in medio praedatores, neque ad pugnam viribus pares et ad fugam saeptis omnibus viis.

2, 55, 6 tum Volero, et praevalens ipse et adiuvantibus advocatis repulso lictore, ubi indignantium pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbam confertissimam recipit, clamitans: provoco et fidem plebis imploro.

Tac. ann. 14, 38 Sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos, et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant.

Tac. ann. 14, 47 . . . Memmius Regulus . . . clarus, adeo ut Nero aeger valetudine, et adulantibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam, . . .

Tac. ann. 15, 12 Ille interritus et parte copiarum apud Suriam relicta, ut munimenta Euphrati inposita retinerentur . . . Armenios petivit.

Ut autem proxime ad illam, de qua nobis res est, adducamur

---

1) Weissenbornius ad 3, 62, 6 et 22, 19, 11, quod exemplum non tam quadret ad haec, docet priore membro rem designari, quae subiecto insideat et inhaereat, altero, quae fortuito accedat.

participiorum iuncturam, ipsa participia ut genere paria ita forma distantia inter se iuncta invenimus particulis copulativis:

Liv. 21, 48, 2 Ad duo milia peditum et ducenti equites vigilibus ad portas trucidatis ad Hannibalem transfugiunt, quos Poenus benigne adlocutus et spe ingentium donorum accensos in civitates quemque suas ad sollicitandos popularium animos dimisit.

Tac. hist. 1, 45 ita simulatione irae vinciri iussum et maiores poenas daturum adfirmans praesenti exitio subtraxit.

Qua ratione ad ipsam perducti sumus iuncturam participiorum inusitatam: Quae quam sit laxa, Livius, cum levitate scriptorum aevi Augustei in componendo sermone, obliti priscae severitatis, aliquid imbutus tum studiosus, ut demonstrabitur, in distinguendis sententiarum membris subtilitatis cuiusdam, nihil habuit pensi.

§ 12.

At haec omnia sufficere — dixerit quispiam — quae qua via progressi sint scriptores illustrent ad participia varii generis omissis particulis annectenda, sed nondum satis esse, quae doceant, quemadmodum eorum animus se applicaverit ad interponendas de industria particulas copulativas. Huc autem alteram, quae non minoris sit ponderis causam accedere puto: Livius enim — id quod multo crebrius observantibus dicendi generis proprietates occurrit apud Tacitum neque deest apud Curtium — nonnunquam, quidquid inest una in notione sententiave, quamvis arte conexum non sit seiungendum, expressius significare vult atque in plura resolvit membra interpositis particulis copulativis. Quod quibus ex causis faciat, insequenti demonstrabimus capite, in re autem ipsa probanda gradus quosdam progressionesque, etsi non omnium exempla praesto videntur esse ex Livio, discernere possumus, quas persequendo pervenimus ad liberrimam constructionis rationem.

Ita apud Tacitum Nipperdeius ad ann. 1, 55 adnotavit rem, quae binis ablativis variae significationis, qui nulla omnino egere videntur copulatione, designantur, saepius inveniri distractam

in bina membra sui iuris facta interpositis copulativis coniunctionibus:

Tac. ann. 1, 55 Druso Caesare C. Norbano consulibus decernitur Germanico triumphus manente bello; quod quamquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit.

Tac. ann. 3, 37 Et Considius Aequus et Caelius Cursor, equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti.

Porro confer Taciti ann. 4, 34 13, 39
11, 5 13, 44
12, 31

Tac. hist. 2, 12 securitate pacis et belli malo circumveniebantur.

Confer etiam Tac. hist. 4, 45; 4, 82.

Substantivum et adiectivum, quae ad unam referenda sint notionem, seiunguntur intercedentibus particulis copulativis:

Tac. ann. 2, 44 Nam discessu Romanorum ac vacui externo metu gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant.

Eadem ratione inter participiorum et relativi et absoluti, quamvis ad unam rem designandam variisque ex partibus depingendam posita sint, distracta membra, quae indivisa potius cernas, intercedunt particulae copulativae:

Tac. ann. 6, 2 Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent.

12, 63 Quippe Byzantium fertili solo, fecundo mari, quia vis piscium immensa Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur.

Alia eiusmodi exempla Tacitina legas ann. 15, 51; hist. 4, 25; hist. 4, 33.

Curt. 6, 11, 12 Rex Cratero accersito et sermone habito, cuius summa non edita est, in intimam deversorii partem secessit.

Curt. 8, 14, 19 tum humo lubrica et ob id impediente conatum molientes ictus celeritate hostium occupantur.

Tac. ann. 1, 29 Drusus orto die et vocata contione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia.

Tac. ann. 13, 21 Sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret.

Invenimus denique iuncturam participiorum varii generis duplicatis iteratisque coniunctionibus in eundem ordinem coactorum:

Liv. 22, 28, 1 Duplex inde Hannibali gaudium fuit — neque enim quicquam eorum, quae apud hostes agerentur, eum fallebat et perfugis multa indicantibus et per suos explorantem —: nam et liberam Minuci temeritatem se suo modo captaturum et sollertiae Fabii dimidium virium decessisse.

41, 19, 10 victores confestim circumsidunt urbem, haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus aut vi expugnaturi.

Hanc iuncturam qui scriptor admiserit, ne audacissimam quidem, de qua nobis quaestio est, illam participii coniuncti et absoluti vitasse facile intellegi potest.

Huius igitur structurae originem atque incrementa quoniam duximus e scriptorum studio et variandi sermonem et dissolvendi distrahendique singula orationis membra, de exemplis, quae protuli, ne in alienam provinciam involasse videar, repetam, quae supra dixi: cum pleraque sint excepta ex Riemanni (prooem. pag. 24 et 25 in adn. et § 7), Draegeri (synt. hist. I pag. 604), Nipperdeii (adn. ad Tac. ann. 1, 55 et 3, 11), Weissenbornii (adn. ad T. Liv. 25, 36, 5) scriptis alia a me ipso addita, mihi sumpserim — id quod necessarium ad meam argumentationem erat — exemplorum selectionem, partitionem, dispositionem.

## § 13.

Ad extremam hanc commentationis partem liceat nobis afferre duas causas, quas, quamquam non cadunt in eas, quas modo explicavimus, tamen aliquid valuisse arbitror ad inferendam illam propagandamque participiorum audaciorem iuncturam. Livius enim, quem non praecipiti temeritate vel neglegentia, sed gradatim et considerate progressum esse ad maximam in illa

structura ponenda libertatem demonstravimus, tamen nonnunquam incidere videtur in levitatem quandam in iungendis enuntiati partibus, sive immemor eorum, quae praecedunt interrupta sententiarum continua serie sive obrutus coacervatis cumulatisque participiis. Huc referam exempla, quae exstant 24, 40, 5; 28, 8, 12 42, 38, 2.

Contra ne minoris aestimemus Livii in componenda oratione artem, participia perspicue dilucideque inter se conexa consideremus, ut legimus 37, 12, 6 plurimisque aliis locis.

## Caput III.

### § 14.

His pertractatis transeamus ad eam disputationis nostrae partem, qua quo consilio quave mente Livius ceterique scriptores tam licenter iunxerint participium relativum et absolutum quaeritur. Diligenti rei tractatione grammaticorum commentatorumque praecepta et adnotationes, quae exstant examinare, augere, amplificare, corrigere, si necesse est, volumus.

Haud parvus exemplorum numerus, inprimis decadis quintae ad verbum fere inter se consentiunt: participium, quod praecedit relativum perfecti deponentis ad enuntiati subiectum referendum, sequitur interposita particula copulativa ablativus absolutus, quo non minus quam praecedente participio relativo significatur, quid fecerit egeritve is, qui subiecto denotatur. Quod idcirco factum esse, ut insignitius distinguantur et acrius exprimantur singula ut ita dicam actionis momenta, obvium videtur esse causam inquirentibus neque fugit eos, qui hos locos interpretantur [1]).

Hoc nonne ad subtiliorem adduci possit interpretationem, quae totam transigat rem et complectatur, nobis explorandum erit simulque exponendum, nonne valeat hoc ad explanationem sententiae, quae insit in aliis exemplis.

### § 15.

Quae nunc primum percensebimus exempla

---

1) Confer inprimis Nipperd. — Andres. ad Tac. ann. 3, 11; 1, 55; et Weissenbornium ad T. Livium 24, 9, 9.

Liv. 25, 23, 15 — 43, 21, 5
42, 13, 12 — 44, 1, 4
42, 38, 2 — 44, 28, 4—5

omnia fere similitudinem quandam sententiae prae se ferunt insignem, quod praeter unum, quod legitur in Eumenis regis oratione ad senatum habita 42, 13, 12 inveniuntur in enuntiationibus, quibus ducem vel magistratum aliquem imperavisse aliquid vel ipsum egisse docemur. Hoc quamvis fortuito factum esse possit, tamen quod non praetermittam dignum videtur mihi. His autem in enuntiatis praedicati vice fungitur verbum movendi vel excitandi:

42, 38, 2 . . transierunt in Thessaliam.
43, 21, 5 . . . ad Stratum . . . ducit.
44, 1, 4 . . . per mediam Boeotiam . . . contendit.
44,28,4—5 . . . onerarius . . . in Macedoniam mittit.
25, 23, 15 . . . . signum dari iubet.

Eisdem in enuntiatis excepto uno 25, 23, 15 verborum movendi sunt participia, quae praecedunt, relativa:

42, 38, 2 . . . progressi ac paucos ibi morati dies . . .
43, 21, 5 . . . profectus . . .
44, 1, 4 . . invectus . .
44, 28, 5 . . . circumvectus.

Ablativis autem absolutis designantur res, quae pertinent vel ad provinciam administrandam vel ad administrandum bellum:

42, 38, 2 . . et Lycisco praetore facto
43, 21, 6 . . et exercitu lustrato
44, 1, 4 . . et Creusae relictis navibus
44, 28, 5 . . ac summotis terrore hostium navibus . . .

idem invenias 25, 23, 15: electisque per eos ad rem tantam agendam audendamque idoneis centurionibus militibusque . . .

Quae penitus si inspicias, vix neges Livium hac in iunctura eam rationem secutum esse, ut, cum verbo praedicati locum obtinente actionem primariam designet, participio relativo actionem, quae minoris sit ponderis atque per se intellegatur e rerum sententiarumque conexu, denotet, ablativo autem absoluto per prae-

positam copulam distinctius expresso actionem significet, quae eiusdem fere atque primaria actio sit ponderis atque momenti.

§ 16.

Iamiam pervenimus ad exemplum 42, 13, 12, quod ut forma ita non sententia convenit his, quae modo protuli. In extrema oratione Eumenis regis ad senatum habita legimus:

> Functus necessario mihi officio et quodammodo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra faceie possum, quam uti deos deasque precer, ut vos et vestrae reipublicae et nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?

Haec magnificentius sublimiusque dicta esse nemo non intellegit: Et haec ipsa in oratorio genere dicendi magnificentia sublimis et superba gravitas effecit, ut participia ad augendam orationis vim atque granditatem particulis copulativis seiuncta singillatim proferantur. Quod videtur firmari loco Liviano, quem legimus 5, 18, 5, ubi Licinii verba redduntur, filii sui suffragatoris et commendatoris.

§ 17.

Ut redeamus ad ea exempla, quae in historico dicendi genere exstant, locos 7, 11, 1; 22, 22, 15; 25, 14, 8 orationis forma inter se consentientes si consideramus praecedentibusque comparamus, cognoscemus ita inter se cohaerere participia, ut ablativus absolutus designet priorem, unde altera emanet necesse est, actionem; participium relativum praeposita particula copulativa vi quadam maiore expressum significet, quem ad effectum adducta sit actio prior. His igitur in exemplis particulas copulativas Germanice interpreteris und daher, und demnach, und somit: Quo referas, quamvis structura abhorreant, locos 22, 19, 11; Curt. 4, 6, 25. — Quod ad locum 24, 9, 9 . . . praesenti Fabio atque ipso comitia habente . . ., affirmare velim hac structura scriptorem id spectasse, ut novam inexspectatamque, quam affert, rem acrius secernendo, quanta sit eius vis, legentium animis incutiat.

§ 18.

Locis autem 25, 16, 22; 31, 24, 3; 36, 10, 12 ad prius, quod rem summatim describit, membrum accedit alterum, quo

accuratius latiusque res definitur. Quod ut insigniter distinguatur, praepositae sunt enuntiatis secundariis particulae copulativae, quas in nostram linguam transferas und noch, auch noch, und obendrein. Huic comparandus est usus, cuius exemplum legimus apud Curtium 3, 7, 14.

## § 19.

At — dixerit quispiam — haec omnia altius conquisita argutiusque commenta sunt:

Livium nihil aliud voluisse quam Graecam structuram transferre in linguam Latinam et, ut est Graecorum imitator, nihil aliud spectasse, quam ut exprimeret ablativo absoluto participium relativum aoristi Graeci, et ob eam causam interposuisse particulas copulativas. Hoc qui volunt, vertent verba Liviana hoc fere modo:

Liv. 25, 23, 15 . . . *διαλεχθείς τε καὶ ἐξελόμενος* . . .

42, 38, 2 . . . *εἰς τὴν Αἰτωλίαν ἐλθόντες διατρίψαντές τ' ἐνταῦθα ὀλίγας ἡμέρας καὶ στρατηγὸν ποιησάμενοι τὸν Λύκισκον* . . .

43, 21, 5 . . . *ἐλθὼν καὶ ἐνθάδε θεωρήσας τὴν στρατιάν* . . .

44, 1, 4 . . . *εἰσπλεύσας καὶ τὰς ναῦς ἀπολιπὼν* . . .

44, 28, 4—5 . . . *περιπλεύσας καὶ τὰς τῶν πολεμίων ναῦς* . . . *ἐξελάσας* . . .

Et alios locos huc relatos interpretabuntur hunc in modum:

Liv. 1, 29, 3 *ἀπορήσαντες καὶ ἐρωτῶντες* . . .

25, 35, 2 *στρατηγὸν ἀπολέσαντες καὶ ἐλπίζοντες* [1]).

28, 8, 12 . . . *ἐπαινέσας* . . . *καὶ παραινέσας*

41, 26, 3 *τὸ σημεῖον ἄρας* . . . *καὶ δι' ὀλίγου ἐποτρύνας* . . .

38, 44, 8 *εὐσεβήσαντες τὰ περὶ τοὺς θεοὺς καὶ κατάλογον ποιησάμενοι* . .

Haec si contemplamur, quam sint accommodata linguae Grae-

---

1) Cf. H. J. Muelleri adnot. in eius edit.

cae et quantopere sapiant Graecum sermonem, reputamusque nobiscum locos plurimos excerptos esse ex iis Livii libris, in quos e Graecis fontibus haud pauca fluxisse constat, facile eo nos perduci posse concedo, ut Livio imitatoris tantum Graeci sermonis partes iniungamus.

Sed hac ipsa interpretatione non tantum lucis afferri, quantum primo obtutu exspectes ii, qui plus vident hac in re iudicanda, cognoscent, etsi aliquantulum linguae Graecae respectu Livium ductum esse ad illam constructionem concedent: Nam longius incautiusve eos progredi, qui sententias Latinas et Graecas in summa aequalitate ponant, iam inde intelleges, quod illa explanatione forma tantum orationis tangitur, non res et plurima exempla ad aliam subtilioremque et quae non abhorreat ab linguae Latinae ratione expositionem reduci posse supra demonstravi.

Quod autem Livium Graecorum imitatorem esse volunt, delegatos velim ad ea, quae supra hac de re disputavi. Sane hercule Livius dignus est, cuius ingenium pluris aestimemus, rectiusque iudicabimus, si Livium non imitatorem illius participii conformationis, sed novatorem, ut Gelliano verbo pervagato utar, nominabimus, quippe qui desideraverit in sermone patrio participium, quod respondeat participio aoristi Graeci, et huic ablativum absolutum primus conatus sit substituere.

Hanc argumentationem ut concludamus eiusque ducamus summam, Livium participiis absolutis et relativis liberius iungendis petiisse asseveraverim in genere dicendi historico perspicuitatem et subtilitatem, in oratorio genere granditatem et, ut erat artifex dicendi, voluisse locupletiorem reddere patrium sermonem nova structura. —

## Caput IV.

### § 20.

Pervenimus ad extremum nostrae commentationis caput, quo quem locum assignes Livio in novanda propagandaque constructione et quatenus eum secuti sint alii scriptores imitatoresque, quaeritur.

Huic parti praeponere velim, quippe quae magis illustrent

ea, quae modo exposui et expositurus sum, G. Bernhardii verba, quae in hist. lit. lat. (ed. 5. anni 1872) leguntur: „Endlich beweist die Sprache des Livius kein geringes Talent. Zwar erwarb sie nur mässigen Einfluss auf die nachfolgende Zeit, und die Wendungen, welche die Literatur unter den Kaisern nahm, liessen nur die Sallustischen Formen zur Geltung kommen; aber Phraseologie, Sprachschatz und Satzbau bezeugen einen denkenden und schöpferischen Kopf und enthalten verdienstliche Beiträge für die Fortbildung der Latinität. Unbestritten war Livius der zweite grosse Prosaiker der Römer, der in Wortgebrauch und Strukturen seinen eigenen Weg geht und oft von Cicero sich entfernt."

Si perlustramus exempla Liviana, quomodo sint distributa in singulas operis eius partes, in prima decade parcissime hac libertate uti eum cognoscemus, saepissime autem in tertia, in quarta haudquaquam studiosum esse eius, in reliquiis autem quintae hanc licentiam certis finibus circumscriptam eo libentius admisisse eum.

Haec aptissime quadrare ad varium librorum argumentum affirmare ausim et ad componendi sermonis rationem propriam singularum decadum: In prima enim decade, ubi Livianum genus dicendi incipit conformari ad certam normam, levibus variisque usus initiis occurrimus; in tertia decade, ex qua omnem nitorem cultumque orationis Livianae enitescere constat, et audaciam scriptoris elucere et libertatem apparet neque deesse illas sermonis proprietates, quod ad quartam decadem, in qua cum rerum, quae narrantur, vim tum orationis alacrem incitatioremque cursum desiderari nonnunquam neminem fugit, languescere et torpere studium novas exquisitasque componendi constructiones quis miretur? In libris autem, qui supersunt quintae decadis stabilita iam et firmata elocutione, audacior illa participiorum iunctura videtur reducta esse ad certum ordinem et constantius artis praeceptum. Vides ergo Livium non solum frequentissime illa constructione uti, sed etiam optime excoluisse eam et expolivisse et unum esse, apud quem progressiones quasdam in structura componenda e consilio factas persequi possumus ita, ut ab usu priorum decadum, qui prae se fert incerti aliquid et suspecti, procedentem prosequamur usque ad certam definitamque in quinta decade usurpationem.

## § 21.

Contra si perpauca, quae exstant et dispersa exempla Curtii et Taciti percenseas — nam apud Florum omnino nulla inveniuntur — non tam facile probabis hunc Livii proprietatem imitatos esse eos quam eo adduceris aut has lectiones — id quod multi apud ipsum Livium demonstrare frustra conantur — esse suspectas aut attribuendas scriptorum levitati cuidam et neglegentiae.

Itaque si Bernhardius verbis, quae attuli, laudat acutum Livii ingenium, quo novas ingressus est in fingenda et componenda oratione vias, non minus verum hoc existimabimus quam quod eodem fere loco docet non ita multum valuisse Livium hoc novandi studio ad posterioris temporis scriptores.

## § 22.

### Summarium.

Haec habui de hac re, quae dicerem. Etsi non omnia, quae in causa sunt, exsecutum me esse puto, etsi numerus exemplorum, quibus nituntur singuli argumentationis loci, facile augeri potest, tamen persuasum mihi est nihil praetermisisse me, quod maioris sit momenti ad enucleandam quaestionem.

Habetis igitur meum hac de re iudicium: Livius haud raro liberius composuit participium absolutum et relativum copulativis particulis. Qua in re haudquaquam imitatus est Graecos, sed profectus est a variandi studio et ea consuetudine, qua unam rem distrahat in plura membra, affectus insuper aliqua in iungendis structuris neglegentia. Nimirum servit haec iunctura in historico dicendi genere rei vel actioni insignitius distinguendae, designat actionis quae praecedit effectum, rem affert novam inexspectatamque, addit rei, de qua generatim disputatum est, singula quaedam, ditat sermonem patrium nova et quae substituatur participio relativo Graeci aoristi constructione; in genere autem dicendi oratorio separatim proferendo singula membra contentiones augentur. Idem Livius, quippe qui sit multiplex variusque hoc in usu, unus perpolivit eum et incertum dubiumque circumscripsisse videtur certis finibus. —

## Adnotationes.

Restat, ut rationem reddam lectionum, quas secutus sum in enumerandis exemplis supra pag. 70—73.

Editiones mihi praesto erant:

T. Livii ab urbe condita libri. iterum recognoverunt Guil. Weissenbornius et Mauritius Mueller. Partes VI. Lipsiae, Tbn. 1877—1885.

Titi Livii Historiarum Romanarum libri qui supersunt. Ex recensione Jo. Nic. Madvigii. edd. Jo Nic. Madvigius et Jo. L. Ussingius. ed. 1. ann. 1861—1863; ed. 2. a. a. 1873 sqq.

Titi Livii ab urbe condita libri. ed. Martinus Hertz, voll. 4. Lipsiae, Tauchnitz 1857—1863.

T. Livii a. u. c. libb. editio Weidmanniana, commentario instructa ab Guilelmo Weissenbornio, 10 voll. 1863—1876 ed. 1—5.

T. Livii a. u. c. Lib. XXVI—XXX recensuit Augustus Luchs, Berolini, apud Weidmannos 1879.

T. Livii Lib. XXI - XXII ed. Fabri-Heerwagen 1852.

Praeterea singulos T. Livii libros contuli ex editionibus, quas in scholarum usum composuerunt

Ed. Wölfflin, Lib. XXI, XXII, XXIII, Lipsiae, apud. Teubn. 1873—1875.

H. J. Mueller, Lib. XXIV, XXV, ibd. 1879.

F. Friedersdorff, Lib. XXVII, ibd. 1881.

Huc accedunt, quae in bibliotheca Gothana in lucem nuperrime emissae sunt editiones:

T. Livii l. I rec. M. Heinacher.

„ „ l. II. rec. Th. Klett.

T. Livii l. XXI. rec. Fr. Luterbacher (alia in editione etiam lib. I—V).

T. Livii l. XXII. rec. Egelhaaf.

Adde his editiones singulorum adhuc librorum curatas ab A. Frigell, Tuecking, Zingerle.

Ex libris, qui ad emendandam Livii orationem conscripti sunt, inprimis commemorem:

Jo. Nic. Madvigii prof. Haun. Emendationes Livianae, iterum auctiores editae Hauniae 1877.

Pleraeque, quas recepi, lectiones probantur summo codicum consensu et ab editoribus sine ulla dubitatione recipiuntur:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 7, 11, 1 | 43, 21, 6 | 25, 16, 22 | |
| 22, 22, 15 | 28, 8, 12 | 44, 1, 4 | 31, 24, 3 |
| 25, 23, 15 | 38, 44, 8 | 44, 28, 4—5 | |
| 25, 35, 2 | 42, 13, 12 | | |

De reliquis locis cum hic et ille addubitet, paucis verbis exponam, qua auctoritate et quibus causis nisus adnumerem iis, qui pro certo habendi sunt.

Liv. 1, 29, 3 . . . maestitia ita defixit animos, ut prae metu, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios in liminibus starent, nunc errabundi domos suas . . . pervagarentur.

Secutus sum Madvigium, qui, emend. Liv. pag. 52, post verba prae metu „participium ineptum“ obliti eiciendum esse putat. Contra plurimos editores nec non, qui nuperrime hac in re elaborarunt, „obliti“ defendere et tueri non ignoro.

Liv. 5, 18, 5 . . . huic petenti meisque pro eo adiectis precibus . . .

Iure ab omnibus fere editoribus repudiata videtur esse J. F. Gronovii inutilis coniectura 'meis quoque'.

Liv. 22, 19, 11 Poeni turbati et temptata verius pugna quam inita . . .

In editione Guil. Weissenbornii anni 1880 vocabulum, 'et' uncis inclusum est, quamquam in editione commentario instructa anni 1875 legitur sine ulla dubitatione positum. Hanc autem voculam eiecerant iam editiones veteres quaedam et J. Fr. Gronovius, recentiores restituisse eam e codice summo iure videntur.

Liv. 24, 9, 9 . . . praesenti Fabio atque ipso comitia habente consulatus continuatus.

Rinkesius coniecit: praesenti Fabio atque ipsi comitia habenti consulatus continuatus. Hac coniectura totam, quae inest in structura, sublatam esse vim apparet. Nam Livium ablativum absolutum eo consilio posuisse, ut acrius significet rem miram inexspectatamque, iam supra demonstravimus.

Liv. 24, 40, 5 M. Valerius duorum milium praesidio relicto praepositoque iis P. Valerio legato cum classe instructa parataque et, quod longae naves militum

capere non poterant, in onerarias inpositis altero die Oricum pervenit, . . .

Prior sententiae pars omnibus criticis est suspecta: e codicis lacunosa depravata et corrupta scriptura profecta nonne turbent alia menda verborum conexum, vix discernas. Itaque eximere malim hoc exemplum numero eorum, de quibus disputavi.

Liv. 25, 14, 8 iam et consul, ad conspectum transgredientium vallum mutato consilio ab revocandoque ad incitandos hortandosque versus milites, ostendere . . .

Sic scripsit Harant l. a. pag. 112. Quod mihi, praesertim cum servetur codicis Puteanei scriptura, probabilius videtur quam quod praebent Hertzius: mutato consilio ab revocandoque et remorandoque, M. Mueller: mutato consilio ab resistendo revocandoque.

Liv. 41, 26, 3 Ap. Claudius signo proposito pugnae ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit.

Particulam copulativam interposuit idem Harant leviter mutata codicis Laurishamiensis scriptura ‘ad’, cuius nemo adhuc rationem habuit in textu componendo, quod plerique ‘ad’ scripturam ortam esse ex insequenti vocabulo adhortatus putaverunt.

Liv. 42, 38, 2 . . . in Aetoliam progressi ac paucos ibi morati dies . . . et Lycisco praetore facto . . .

Madvigius em. Liv. pag. 643: „Narrationis ordo et cursus postulat, ut tollatur et ante Lycisco.“ Minus recte iudicasse vir ille doctissimus videtur: nam ‘et’ iure interpositum esse alia quae exstant in decade quinta eaque simillima exempla docent.

Liv. 36, 10, 12 ibi castra metatus latius quam pro copiis et plures quam quot satis in usum erant ignes cum accendisset, speciem, quam quaesiverat hosti fecit.

Weissenbornius mutilum esse locum ratus, cum solus codex Moguntinus praebeat et particulam, scribere mavult ‘metatus latius . . . plures . . ignes . . cum accendisset’. Consentire videtur M. Hertzius. Codicis scripturam tenendam esse censeo, cum audacior iunctura probetur exemplis, quae prope accedunt, et variis, quas habemus in dicendi genere Liviano, in iungendis sententiis progressionibus. —

## Caput alterum: De participii futuri activi apud T. Livium, Q. Curtium Rufum, Julium Florum usu observationes.

Conspectus.



---

Operae pretium me facturum esse spero, si participii futuri activi usum Livianum, quem neque totum adhuc pertractatum esse neque ea, qua fiat necesse est, subtilitate existimo, quanta possum diligentia exploraverim atque exposuerim adhibitis ad comparandum et illustrandum, qui imitantur Livium, scriptoribus.

### Caput I.

§ 1.

Itaque, ne improbentur, quae de Liviano usu minus recte iudicato affirmavi, liceat mihi paucis verbis proferre, quae habemus de participio futuri activi praecepta grammaticorum nostrae aetatis: Ante omnes commemorari debent Madvigius et

Zumptius[1]), qui quamquam variis erroribus obnoxii sunt, tamen iam leges rationemque usus participii futuri activi statuerunt ita, ut eorum praecepta simul cum exemplis, quibus demonstrantur, hodie legantur in minoribus grammaticis Latinis et decantentur. Quae docuerunt, haec fere sunt: Apud scriptores priscae latinitatis participium futuri activi non invenitur nisi coniunctum cum copula esse exceptis verbis futurus et venturus, quae quidem in totam adiectivi vim abiere.

Apud posterioris aetatis scriptores adhibetur participium futuri activi post verba movendi ad designandum consilium, quo quis aliquid faciat.

Participium fut. act. eum definit, qui natus destinatusque est ad aliquid.

Substituitur participium fut. act. in locum enuntiationum secundariarum, et relativarum et coniunctionalium, causalium, temporalium, concessivarum.

Participium fut. act. vice enuntiati primarii periodi hypotheticae fungitur.

Perraro invenitur apud scriptores posteriores ablativus absolutus participii futuri activi.

Errat autem Madvigius, cum Sallustium iis, qui abstinent participio futuri activi loco enuntiati secundarii usurpato, scriptoribus adnumeret, errat uterque grammaticus, cum Ciceronem hunc usum admisisse negent et Livium primum usum esse ablativo absoluto participii fut. act. dicant. (Cf. quae infra afferam et Schmalzii de Asinii Pollionis elocutione commentationem p. 89).

Porro si praecepta grammaticorum nostrae aetatis sequi volumus, quae inveniuntur apud Draegerum in syntax. hist. vol. II partis III et IV § 573 (ed. anno 1878) et Raph. Kuehnerum in grammatica Latina auctiore, quam curavit Rud. Kuehner, vol. II, 1 Hannoverae 1878 § 136 c. et G. W. Gossravium in grammat. Lat. ed. 2. emendatiore § 453 Quedlinburgae anni 1880 digna sunt, quae respiciantur.

---

1) Madvigius, grammaticae Latinae in scholarum usum redactae editio anni 1844. Vide etiam recentiores huius grammaticae editiones.

C. G. Zumptii gramm. Lat. ed. 11., quam curavit A. W. Zumptius anno 1859.

Qui quamvis multum debeant prioribus illis quos nominavi viris, tamen aliquid dissentiunt ab iis levibusque eorum erroribus, quos notavi, vitatis haec fere de usu participii futuri activi praecepta dant:

Apud priscae latinitatis scriptores perraro participium futuri activi invenitur in locum enuntiati secundarii substitutum.

Ex Augustei aevi scriptoribus abunde manasse videtur constructio in pedestrem orationem.

Participii futuri activi ablativus absolutus apud primum Livium invenitur (cf. supra pag. 97).

De part. fut. act. varia significatione apud Kuehnerum et Gossravium haec fere sunt:

Participio futuri activi designatur, quo quis consilio aliquid faciat;

id quod ad aliquid destinatum est;

condicio, qua fit aliquid atque ad effectum ducitur.

Apud poetas vero et posterioris aetatis scriptores participium futuri activi in adiectivi vim abiit.

His adnumeres, quae commode sciteque dicta invenimus in pernoto illo Naegelsbachii - Muelleri opere § 115 a.

§ 2.

Quae praeceperint grammatici, pleraque sumpta esse e singulis commentationibus ad hunc et illum scriptorem pertinentibus haud latet. Et sane multorum studia in peculiari singulorum scriptorum usu participii fut. act. exponendo versata sunt, ita ut ii, qui haec persequuntur, non multum desiderent quasi historiam contextam huius per linguam Latinam usus. Breviter igitur percurramus, quae huc referenda sunt:

De fontibus, unde emanarit participii futuri activi usus, si quaeras, delegatum te volo ad Othonis Riemanni librum, cui inscribitur „Études sur la langue et la grammaire de T.-Live 2ième édition, Paris, Thorin 1885 ad adnotationem tertiam § 129, ubi, secutus sententiam quorundam doctorum nostrae patriae, e cotidiano Latino sermone, non e Graeco fluxisse eum docet.

De primis usus eiusdem initiis pauca disces ex iis, quae sunt apud F. Hoppe, Zu den Fragmenten und der Sprache Ciceros, Gumbinnen 1875 et Der Conjunktiv der conjugatio periphrastica

activa, Gumbinnen 1879; Anton, die deutschen phraseologischen Verba im Lateinischen, Naumburg 1878 pag. 18; Draeger § 573; Kuehner § 136; Riemann § 129 adn.

De amplificando usu conferas Helm, Quaestiones syntacticae de participiorum usu Tacitino Velleiano Sallustiano, Lipsiae, in aed. B. G. Teubneri 1879; de usu Liviano Fabri-Heerwagen ad XXII, 12, 2; Güthling, de Titi Livii oratione disputatio, caput II., quod est de participiis, Liegnitz 1872 pag. 5; Kühnast, die Hauptpunkte der livianischen Syntax, 2. Aufl., Berlin 1872, pag. 267; Riemann §. 129 pag. 303—305; de usu scriptorum posterioris aetatis omnia fere, quae exstant scripta, commentationes, prolusiones dispersae, enumerata sunt in adnotationibus 578, 579a, 589 novae editionis, quam curaverunt J. H. Schmalz et Dr. G. Landgraf, partis III. lectionum Reisigii de lingua Latina, adnotationibus auctarum ab Fr. Haase, Berolini 1887. De usu denique poetarum cf. Kittlitz-Ottendorf, Philolog. vol. XI pag. 283 sqq., qui de usu participii futuri activi Ovidiano disputavit; Frahnert, Zum Sprachgebrauch des Properz, Halle 1874; A. Sommer, de usu participii fut. act. apud aevi Augustei poetas dissert. Halens. anni 1881.

Accedunt, quas inspicias, quinque illae commentationes, quas E. L. Richter conscripsit de supinis Latinae linguae, Regiomont. Boruss. 1856—1860, et plurimae, quae in singulorum scriptorum editionibus dispersae sunt, commentatorum annotatiunculae.

§ 3.

Ex hac abundanti multitudine eximere velim summam eorum, quae docent Franciscus Helm et Alfredus Sommer, quippe qui haud pauca afferant, quae vel ad ipsum Livium pertinent vel adhibenda sunt ad eas aliorum scriptorum in oratione proprietates quae prope accedunt ad Livianum genus dicendi, neque minus exponam, quae maximi sunt momenti ad id, quod mihi proposui, in C. E. Guethlingii et O. Riemanni scriptis, ut quae nunc cum maxime divulgatae sint sententiae de participii fut. act. usu Liviano cognoscantur.

Franciscus Helm igitur pag. 73—78 maximum locorum, quibus participium fut. act in Sallustii Taciti Velleii scriptis invenitur, numerum pro varia significatione hunc fere in modum distribuit:

I. Participium fut. act. usurpatur ad designandum eum, qui aliquid vult perficere.
II. Participium fut. act. usurpatur ad designandum eum, qui in eo est, ut aliquid perficiat.
III. Part. fut. act. designat eum, cui tamquam a fato praedestinatum est, ut aliquid faciat, quique ipse sorti alicui obnoxius est.
IV. Part. fut. act. designat eum, qui aliquid faceret, si certa quaedam condicio ad effectum adducta esset.
V. Part. fut. usurpatur ad designandum eum, qui certa quadam condicione aliquid fecisset.

Sed multum abest, ut Helmii sententiam de singulis exemplis in has partes disponendis semper comprobem. Liceat igitur, in adnotatione afferre ea Helmii exempla, quae mihi reicienda videntur esse e loco, quem Helmius assignavit, quia vera cum falsis commiscuit confuditque [1]).

---

1) Sub I minus recte inseruisse videtur mihi exempla Tacitina:

ann. 12, 2 nihil .. novum disserebat, si sueta coniux rediret haudquaquam novercalibus odiis visura Britannicum, Octaviam.

hist. 1, 33 non exspectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus.

Sub. III falso inseruit: Tac. ann. 2, 58 . . miserat amicitiam ac foedus memoraturos . .

ann. 4, 46 . . . misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos . . .

ann. 13, 15 Igitur ceteris diversa nec ruborem allatura (sc. imperavit).

ann. 12, 50 Vacuamque rursus Armeniam Radamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos.

ann. 14, 38 . . . disperseratque novum legatum opperiendum esse sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum.

hist. 1, 19 agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, maiore praetextu, illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus.

hist. 1, 32 neque illis iudicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis.

In dissertatione autem A. Sommeri pag. 5 legas observationes quasdam haud improbandas de ratione, quae intercedat inter usum part. fut. act. Livianum et poëtarum aevi Augustei neque vituperes ea, quae conscripsit pag. 9 de variis part. fut. act. apud hos poetas significationibus. Quod autem pag. 8 negat participium fut. act. nonnunquam significationem exhibere „in eo esse, ut . . .“ argutius distinxisse videtur mihi. Errare autem eum arbitrer, cum apud Livium et scriptores posterioris aetatis perraro participium fut. act. in iusti adiectivi vel substantivi vim abire dicat pag. 5 et 14. Nam hac de significatione conferas, quae Riemann § 19 pag. 90 conquisivit exempla, quibus adiciam e Curtio excerpta 6, 10, 10; 7, 1, 35; 9, 3, 6; 10, 1, 37; e Floro 1, 33 pag. 55 Jahn.

De ipso autem usu Liviano breviter disserit C. E. Guethlingius et magis rem leviter tangens quam transigens omnia sua complexus est in has fere sententias:

„Graecorum morem consuetudinemque secutus Livius hoc participio ita usus est, ut significaret, quo quis consilio aliquid faceret quaque mente.

Eodem participio Livius id definire solitus est, ad quod aliquis natus aut aliquid factum esset.

Item Livius hoc participio usus est, ut significaret, quae quis statuisset paratusque esset facere.

Denique videtur commemorandum esse, male praecipere, qui praecipiant, ne hoc participium absoluto qui vocatur ablativo scribatur.

Vides ea, quae Guethlingius perstrinxit magis verbis quam pertractavit et limavit, multum augeri posse et emendari.

Subtilius et commodius in Riemanni libro constructionis cum origines et propagines tum progressiones et mutationes et varias significationes tractatas invenies. Reddam hoc loco quemadmodum secreverit significationes omissis exemplis, quae quidem

---

Sub IV falso videtur protulisse:

Tac. ann. 1, 45 Caesar arma, classem, socios . . . dimittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

Neque rectius iudicasse videtur in iis, quae pag. 77 de usu Liviano notavit et coniecit pag. 109 de ablativo absoluto participii futuri activi. Hac igitur Helmii disquisitione nequaquam rem transactam esse apparet.

haudquaquam omnia collegit, quippe cum ipse ea paulo infra enumerare in animo habeam.

§ 129 „Les prosateurs classiques n'emploient presque le participe en-urus que ioint au verbe sum (facturus sum = μέλλω ποιήσειν). Ce n'est guère qu'à partir de T.-Live que ce participe s'emploie librement en prose comme un véritable participe futur; en voici divers exemples:

a) Part. fut. pour marquer ce qui doit arriver.
b) Part. fut. pour marquer ce qu'on est sur le point de faire.
c) Part. fut pour marquer l'intention.
d) Part. fut. précédé de ut ou tamquam.
e) Part. fut. marquant un fait dont l'accomplissement est subordonné à une condition.
f) Part. fut. marquant une hypothèse contraire à la realité.

His denique adiciamus summam commentationis novissimae, quam nuperrimae editam in manibus habemus. Est autem disputatio, quae addita est indici gymnasii regii Coesliniani anni 1887 „de usu participii in-urus cadentis Curtiano" composita a Fr. Kupfer. Hac dissertatione, simplici perspicuitate excellenti, secundum praecepta Kuehneri et Gossravii discimus, quam sit frequens variusque rerum scriptor ille in usu part. fut. act. adhibendo.

Postquam enim in prooemio Kupfer generatim explicavit, non tam aliquid novi allaturus quam notas et divulgatas leges in mentem legentium revocaturus, usum participiorum Latinum, ad id, quod peculiariter spectat, progressus, ad usum part. fut act. Curtianum, quattuor generibus rem illustravit:

I. Disserit de usu participii futurus, a, um adiective usurpati. Accedunt testimonia, quibus Curtium neutro pluralis futura uti pro „res futurae" probatur [1]).

---

1) Adnotaverim: Futurus adiective usurpatus legitur etiam
Curt. 4, 14, 25 In dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis.
nec non „futura" neutrum pluralis pro „res futurae" positum invenimus apud Curt. 8, 9, 33 Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur et futura praedicere.

II. Duobus exemplis e Curtio allatis demonstratur participium fut. act. in locum substantivi substitui[1]).

III. Exponit usum part. fut. act. coniuncti cum verbis esse et videri. Quam disquisitionis partem, quippe quae nostram rem vix tangat, omittamus!

IV. Disputat de usu part. fut. act. in locum secundariorum enuntiatorum substituti. Participia, quae ita usurpantur, distribuit, ut fieri solet omnibus fere grammaticis consentientibus, in tres partes, prout subduntur enuntiationi secundariae munere substantivi fungenti aut locum adiectivi obtinenti aut partes adverbii suscipienti: Ad primam distributionis partem unum affert exemplum, ad alteram duodeviginti excerpsit, ad tertiam septuaginta unum exempla collegit[2]). In iis de hoc vel alio exemplo inserendo et in certum ordinem disponendo dubitari posse facile intellegitur. Praeterea huic commentationi usui sint haud spernendo comparationes cum aliis scriptoribus, praecipue Livio faciendae, unde duci possint conclusiones haud inutiles.

## Caput II.

### § 4.

In his cum omnia fere videantur inesse, quae nunc valent inter homines doctos, praecepta de participio fut. act., aliorum

---

1) Substantive usurpari videntur part. fut. act. etiam Curt. 7, 1, 35; 9, 3, 6; 10, 1, 37.

2) Kupfer cum summam exemplorum nonaginta septem confecerit, ex iis septem non tractasse, alia septem omnino non videtur cognovisse. Desiderantur igitur exempla:

Curt. 3, 1, 19; 7, 4, 7; 8, 4, 1; 9, 3, 6; 10, 8, 10;
5, 11, 5; 7, 4, 16; 8, 6, 18; 10, 1, 16; 10, 9, 7;
7, 1, 35; 8, 2, 13; 8, 9, 8; 10, 2, 2;

Falso bis positum legimus 3, 1, 10 pag. 7 et pag. 9.

Denique corrigas quaeso hos typothetae errores:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| pag. 9 | legas | 5, 4, 16 | pro | 5, 4, 15 |
| „ „ | „ | 6, 2, 19 | „ | 6, 2, 9 |
| „ „ | „ | 3, 8, 3 | „ | 3, 8, 4 |
| „ 10 | „ | 10, 1, 24 | „ | 10, 1, 4 |
| „ „ | „ | 4, 13, 16 | „ | 4, 13, 6. |

sententias proferre, quippe quae nil novi afferant, supervacaneum est et longum. Exoritur autem quaestio, quid ipse huic syntaxis parti attribuere possim, quoniam de notione, derivatione, significatione participii futuri activi omnia, quae memoratu digna sunt, dicta esse videntur. Sed quamquam opus meum haudquaquam faciam pluris quam spicilegium vilius, tamen praesertim cum accedant de Curtio et Floro observationes quaedam, operae pretium fore confido, si, quid ego sentiam de varia apud hos scriptores significatione participii fut. act. loco enuntiationum secundariarum usurpati, aperte protulerim omnibus exemplis collectis, et his pertractatis quaesiverim, habeatne Livius pro variis operis sui partibus in usu amplificando exornandoque progressiones, et exposuerim, quae ratio intercedat inter usum part. fut. act. Livianum et Curtianum, et explicaverim, quid concludere possimus e comparandis exemplis, quae exstant in dicendi genere et historico et oratorio.

Ac primum quidem enumerentur atque distribuantur participii futuri activi, de quo nobis res est, exempla[1]:

## § 5.

**A. I. a.** Participio fut. act. designatur, quo quis consilio aliquid faciat.

Liv. 3, 42, 5 castra quoque amissa erant, exutusque omnibus utensilibus miles Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, quae tamen non fefellerunt, contulerant.

8, 26, 1 sineret se (sc. Nymphium) classe circumvehi ad Romanum agrum, non oram modo maris, sed ipsi urbi propinqua loca depopulaturum.

8, 29, 12 et ita proelio uno accidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo, ut non in castra solum refugerent hostes, sed iam ne vallo quidem ac fossis freti dilaberentur in oppida, situ urbium moenibusque se defensuri.

---

1) Titi-Livi ab urbe condita Libri. Iterum recognovit Guil. Weissenborn et Maur. Mueller, Lips. Teubn. 1877—85.

Q. Curtius Rufus, ed. Teubn.; recognovit Theodorus Vogel 1884.

Iul. Flor. epit. rec. et emend. O. Jahn 1852.

21, 32, 2 ceterum ubi deserta munimenta nec facile se tantum praegressos adsecuturum videt, ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus.

cf. porro in tertia decade:

| | | |
|---|---|---|
| 21, 32, 5 | 25, 27, 13 | 27, 2, 2 |
| 21, 58, 2 | 25, 40, 9 | 28, 15, 13 |
| 23, 1, 5 | 26, 12, 14 | 29, 35, 6. |

Liv. 30, 24, 1 Per eos dies Cn. Servilius consul haud dubius, quin pacatae Italiae penes se gloria esset, velut pulsum ab se Hannibalem persequens in Siciliam, inde in Africam transiturus, traiecit.

His adde ex decade quarta:

31, 36, 6; 32, 9, 5; 35, 29, 10; 39, 54, 6;
31, 46, 8; 33, 19, 11; 36, 14, 6.

Liv. 40, 56, 2 (sc. Perseus) . . tantum, ut procul abesset, curabat, interim velut ab incendio flagrantis irae, dum Philippus viveret, se defensurus.

Similia leguntur in decade quinta exempla:

41, 18, 1; 42, 25, 8; 42, 63, 5; 44, 4, 11;
41, 22, 5; 42, 62, 15; 42, 65, 6; 44, 8, 5.

Ex Q. Curtii Rufi historiis excerpsi eiusdem significationis locos hos:

Curt. 3, 1, 10 Ceterum Dareo imminens, quem nondum Euphraten superasse cognoverat, undique copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus.

3, 4, 3 Igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat: quidquid usui potest esse, corrumpit, sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus.

Eandem exhibent significationem:

3, 8, 16; 4, 4, 12; 4, 13, 16;
3, 8, 27; 4, 5, 9; 4, 15, 12.

5, 2, 4 Ingens militum turba convenerat, egregio interfutura certamini.

Curt. 5, 5, 9; 6, 6, 19; 7, 2, 37;
5, 9, 11; 6, 9, 31; 7, 5, 26.

Curt. 8, 4 1 His compositis . . . ex hibernis movit exercitum, regionem, quae Gazaba appellatur, aditurus.

8, 5, 1; 8, 12, 3; 9, 1, 15; 10, 2, 2;
8, 6, 18; 8, 12, 9; 9, 4, 12;
8, 10, 2; 8, 13, 5; 10, 1, 24.

Ex Iuli Flori epitoma duo exempla proferre possum:

1, 13 p. 22 Jahn . . . Pyrrhus, qui semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem vindicaturus cum totis viribus veniebat.

2, 12 p. 33 J. et ille quidem (sc. Catilina) ad praeparatum a Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa inlaturus urbi.

A. I. b. Hoc cum participio artissime cohaeret id, quo is designatur, qui aliquam perpetrare rem obstinavit animo. Qua ratione maiore quadam vi id quod intendimus denotatur. Quae significatio saepius confusa est cum ea, qua promptum paratumque esse aliquem ad aliquid definitur neque infitiandum est saepius proxime eam accedere ad illam, de qua modo sub A. I. a disserebam.

Huic rei qui testimonio sunt loci, inveniuntur apud Livium:

3, 60, 8 ubi inluxit, egreditur castris Romanus, vallum invasurus, ni copia pugnae fieret.

Huc accedunt ex prima decade: 1, 51, 7; 7, 30, 18; 9, 38, 7;
3, 64, 5; 7, 31, 4; 10, 26, 7;
7, 22, 9; 7, 35, 11.

Liv. 21, 32, 1 P. Cornelius consul triduo fere post, quam Hannibal a ripa Rhodani movit, . . . ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus.

His adnumerem ex tertia decade:

21, 13, 6; 22, 12, 2; 25, 27, 10;
21, 44, 2; 23, 14, 6; 30, 11, 2.

Liv. 31, 24, 8 (Philippus) . . . considere ac conquiescere agmen iussit, vi aperta propalam usurus, quando parum dolus profuerat.

31, 42, 7 (Philippus) . . . in proxima planitie consedit, prima luce insequentis diei hostem adgressurus.

Eandem prae se ferre videntur significationem haec ex quarta decade exempla: 34, 22, 13; 35, 39, 4; 38, 43, 11;
34, 37, 6; 37, 27, 3.

Qui exemplorum numerus augetur quinta decade, ex qua exprompsimus:

Liv. 44, 12, 8 . . . praetervecti ad Iolcon classem appulerunt, inde agro vastato Demetriadem quoque adgressuri.

44, 30, 10; 44, 35, 13; 45, 24, 12.

Haec quae comprobant atque confirmant exempla apud Curtium pro operis magnitudine haud pauca exstant:

5, 9, 10 strictoque acinace interfecturus eum videbatur, ni propere Bessus Bactrianique quasi deprecarentur tristium specie, ceterum, si perseveraret, vincturi circumstetissent.

5, 10, 5 Diu omnibus cogitatis placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium destinatos regem comprehendere mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret vivum adservari eum: si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dareum et Bactra cum suarum gentium manu petituri.

Theodorus Vogel ad 'occisuri et petituri' addere mavult 'erant' quam tolerare constructionem audacissimam. Contra ego, quin rerum scriptor hoc loco levem, quae vocatur, anacoluthiam admiserit, non dubito. Nam cum non respiceret praecedens verbum 'placuit' et animo substitueret 'constituerant, decreverant' frequentiore participii futuri activi usu proximorum capitum perductus est, ut aberarret, praesertim cum idem participiorum genus ad eandem fere rem declarandam usurpaverit paulo ante 5, 9, 10 et 5, 9, 2.

Cetera quae huc referam participia fut. act. Curtiana conspiciuntur: 5, 2, 4; 6, 11, 19; 8, 8, 17; 9, 5, 1;
5, 11, 5; 7, 6, 11; 8, 10, 1; 10, 2, 7.

Ex Iuli Flori epitoma proponam:

I, 33 pag. 15, 18 J.: Itaque non est permissa pugna morituris; quod Germanice vertas „den zum Tode Entschlossenen“.

Cuius usus subtiliores variationes mutationesque si perse-

quaris, dicas rerum scriptorem participio fut. act. eum designare, qui paratus esse ad aliquid existimatur:

Liv. 40, 8, 19 agite, conscelerate aures paternas, decernite criminibus, mox ferro decreturi.

A. II. Is qui in eo est, ut aliquid faciat, participio fut. act. designatur. Hoc quamvis impugnet A. Sommer, l. a. pag. 8, tamen verum esse, his demonstratur exemplis:

Liv. 6, 12, 8 itaque, ut decet certae spei plenos et cum imparibus manus conserturos[1], pilis ante pedes positis gladius tantum dextras armemus.

21, 1, 4 fama est etiam Hannibalem annorum ferme novem pueriliter blandientem patri Hamilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum . . . iure iurando adactum . . .

36, 24, 9 cum dimidia parte militum consul ab urbe escensurus in arcem signum ab iis, qui ab tergo in rupem evasuri erant, exspectabat.

Ex Q. Curtii libris conquisivi:

5, 2, 8 Iamque Susa ei adituro Abulites, regionis eius praefectus . . . filium obviam misit, traditurum se urbem promittens.

5, 2, 16 Rex Persidis finem aditurus Susa urbem Archelao et praesidium III milium tradidit.

Cf. etiam 7, 7, 5; 8, 1, 14; 8, 9, 8; 9, 3, 22.

Flor. 1, 37 pag. 60 J.: sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus inter se dimicaturus?

## § 6.

B. Participio fut. act. significatur aliquem vel aliquid natum destinatumque esse ad aliquid aut perpetrandum aut perferendum. Sed non tam certis terminis circumscripta est haec significatio: variat mirum in modum et huc et illuc trahitur. Hunc in discribendis exemplis ordinem sequar:

B. I. a. Participium fut. act. munere adiectivi praedicativi vel

1) De participio substantive posito cf. supra pag. 103 et 101.

attributivi vel etiam substantivi fungitur eumque denotat, cui fato aliquid destinatum est et cui subeunda est certa quaedam fortuna:

Liv. 1, 29, 3 sed silentium triste ac tacita maestitia ita defixit omnium animos, ut... nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas ultimum illud visuri pervagarentur.

Hoc 'ultimum illud visuri' ad hanc significationem quadrare confirmatur loco Curtiano 5, 12, 8: „Destinatus sorti suae et iam nullius salubris consilii patiens unicam in illa fortuna opem Artabazum ultimum illud visurus amplectitur".

Liv. 5, 39, 12 si arx Capitoliumque, sedes deorum, si senatus, caput publici consilii, si militaris iuventus superfuerit imminenti ruinae urbis, facilem iacturam esse seniorum relictae in urbe utique periturae turbae.

Primum locum hoc in usu obtinere videntur participia periturus, moriturus, venturus, mansurus, quae in adiectivi iusti vel substantivi significationem abeunt:

cf. Liv. 25, 6, 9; Curt. 6, 10, 10; Flor. I, 35 pag. 59,
30, 36, 10. II, 18 pag. 110.

Liv. 5, 48, 8 inde inter Q. Sulpicium tribunum militum et Brennum regulum Gallorum conloquio transacta res est et mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum.

Quocum compares, quod est apud Florum

1, 22, pag. 37 J.: sed tum quidem illum, ut dici volgo solet, aut fatum urbis imperaturae aut ipsius mens mala et aversi a Carthagine di in diversum abstulerunt.

Alia e Livio, Curtio, Floro huc inseras exempla:

Liv. 30, 12, 2 (Ibi Syphax) . . . opprimitur capiturque et vivus, laetum ante omnis Massinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium pertrahitur.

30, 32, 4; 40, 8, 7.

Curt. 4, 9, 9 Iam pervenerat Arbela vicum, nobilem sua clade facturus.

Curt. 6, 5, 8 Rex omissis sponsionum fideique pignoribus ve-

nire eos iussit, fortunam, quam ipse dedisset, habituros.

4, 9, 5;
7, 1, 35; 7, 10, 10; 8, 4, 29;
7, 4, 16; 8, 2, 33; 9, 5, 26.

Flor. I, 22 pag. 36 J. hic erit Scipio, qui in exitum Africae crescit, nomen ex malis eius habiturus.

II, 18, 110 perditis enim rebus (sc. Sextus Pompeius) profugit Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium et, quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus.

B. I. b. Participium fut. act. eum designat, qui aptus esse ad aliquid vel ea mente imbutus eaque facultate, ut aliquid faciat, praeditus putatur.

Liv. 21, 44, 3 inferimus bellum infestisque signis descendimus in Italiam tanto audacius fortiusque pugnaturi quam hostis, quanto maior spes, maior est animus inferentis vim quam arcentis.

22, 43, 11 id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat, cum aciem derigerent, ipsi aversi, terga tantum adflante vento, in occaecatum pulvere effuso hostem pugnaturi.

24, 4, 1 In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis regnumque ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum vixdum libertatem, nedum dominationem modice laturum.

31, 29, 8 scilicet sicut vos Naupacti legibus vestris per magistratus a vobis creatos concilium habetis, socium hostemque libere, quem velitis, lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro, sic Siculorum civitatibus Syracusas aut Messanam aut Lilybaeum indicitur concilium.

32, 40, 2 sed deductis ex urbe praesidiis liberam contionem, non immixtis Lacedaemoniis declaraturam, quid Argivi vellent, praeberi debere dicebat rex.

Cf. 36, 7, 20; 37, 11, 8; 41, 19, 10.

Curt. 10, 8, 4 Perdicca pueros equos iussit conscendere et cum

paucis amicorum ad Leonnatum pervenit, iam firmiore praesidio vim propulsaturus, si quis inferret.

Cf. etiam Curt. 10, 9, 7.

**B. I. c.** Perraro apud Livium inveniuntur exempla participii futuri activi, quibus alicui, ut aliquid faceret, imperatum esse discimus. Saepius videntur exstare apud Curtium:

Liv. 27, 16, 12 inde duos Metapontinos cum literis principum eius civitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem ab consule accepturos impunita iis priora fore, . . .

Cf. etiam 21, 17, 6.

Curt. 3, 1, 19 Cum deinde Dareum, ubicumque esset, occupare statuisset, ut a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellesponti, copiis autem praefecit Hegelochum, Lesbum et Chium Coumque praesidiis hostium liberaturos.

Curt. 7, 4, 32 Hic regi stativa habenti nuntiatur ex Graecia Peloponnesiorum Laconumque defectio — nondum enim victi erant, cum proficiscerentur tumultus eius principia nuntiaturi — et alius praesens terror adfertur, Scythas adventare.

De participio substantive posito cf. supra pag. 103 et 101.

Curt. 8, 2, 13 . . . Hephaestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hiemem paraturum.

Adde, quaeso, Curt. 8, 10, 33; 9, 8, 7; 10, 8, 22.

Huic constructioni, quae in scriptis eorum, qui nostra aetate Latine scripserunt, usitatissima est neque Livium neque Curtium deditum fuisse apparet: Longe anteponebant participium praesentis activi, enuntiatum secundarium relativum, enuntiatum secundarium finale, parcius admisisse gerundium videntur aut supinum.

**B. II.** Participio futuri activi enuntiationis secundariae relativae munere fungente vel ipsius scriptoris rerum vel eorum, qui quid dixerint censuerintve perhibentur, sententiae de processu alicuius rei futuroque eventu proferuntur.

Liv. 2, 10, 11 ita sic armatus in Tiberim desiluit, multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famae habituram ad posteros quam fidei.

Verba „rem . . . habituram" id quod Livius addere vult, continent.

Liv. 4, 17, 4 rem incredibilem, interventu Fidenatium, novorum sociorum, consulentium de caede ruptura ius gentium, non aversam ab intentione lusus animum, nec deinde in errorem versum facinus.

His adicienda sunt ex Livio 9, 5, 11; 26, 25, 3; 34, 6, 16; 34, 36, 7.

10, 7, 11 Nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova et brevi duratura libertate luxuriat.

Flor. 1, 46 pag. 76 J. aut magnificus apparatus conviviorum et sumptuosa largitio non ab opulentia paritura mox egestatem?

B. III. Quibus cum exemplis, cum haud procul abhorreant ab ea, de qua modo disputavi, significatione, ea participia fut act. coniungenda sunt, quae substituta inveniuntur in locum enuntiati secundarii vel causalis vel relativi, cuius argumentum cadit in sententiam eius, qui subiecto enuntiati primarii denotatur.

Liv. 3, 19, 3 perculsa erat plebes consulem habitura (da sie haben würde) iratum, potentem favore patrum, virtute sua, tribus liberis; . . .

4, 7, 8 vicerunt patres, quia et plebs patriciis seu hunc seu illum delatura honorem (da sie, die Plebs, doch nur übertragen würde) frustra certare supersedit . . .

4, 44, 9 stetitque in eadem sententia, ne qua largitio cessura in trium gratiam tribunorum (die doch nur ausschlagen würde zu . . .) fieret.

7, 6, 8 in exspectatione civitas erat, quod primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset, perinde ut evenisset res, ita communi-

catos honores pro bene aut secus consulto habitura.

Accedunt exempla Liviana 7, 31, 2; 29, 2, 11; 29, 7, 4; 34, 49, 2—3.

Curt. 5, 4, 16 Craterus eum inlato terrore retineret, ad propius periculum conversurum agmen: sin autem . . . .

5, 10, 9 Hinc spe, hinc metu militares animos versant: ruinae rerum subdere illos capita, in perniciem trahi, cum Bactra pateant exceptura eos bonis et opulentia, animis quam concipere non possint.

6, 2, 19 nec sibi ignaviam militum obstare, sed deum invidiam, qui fortissimis viris subitum patriae desiderium admovissent, paulo post in eandem cum maiore laude famaque redituris.

7, 2, 36 Nam cum experiri vellet militum animos, admonuit, qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset, iis, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide traderet.

Huc etiam pertinent: Curt. 8, 5, 10; 10, 8, 10; 8, 11, 21.

## § 7.

C. In usu, ut ita dicam, condicionali participii fut. act. diiudicando, Sommero (l. l. pag. 9. 10) assentior et hac fere ratione locos qui exstant, distributos volo:

C. I. Participium fut. act. usurpatur pro enuntiato secundario, quod, si in locum iusti enuntiati primarii restituitur, apodosis periodi hypotheticae vice fungens significat sub condicione quadam aliquid facturum esse aliquem. — His locis cum participium fut. act. plerumque significationem exhibeat: bereit zu etwas, entschlossen zu etwas, complura exempla iam supra attuli; his e tribus rerum scriptoribus adiungam:

Liv. 22, 38, 7 Contiones . . . consulis Varronis multae ac feroces fuerunt, denuntiantis bellum arcessitum in Italiam ab nobilibus mansurumque in visceribus

reipublicae, si plures Fabios imperatores haberet, se, quo die hostem vidisset, perfecturum.

Liv. 42, 13, 3 cernebam nobilissimas Asiae et Graeciae civitates in dies magis denudantes iudicia sua, mox, si permitteretur, eo processuras, unde receptum ad paenitendum non haberent.

Curt. 4, 3, 21 Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant, sed coniuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius, quidquid accideret, laturi, si carissimam sui partem extra sortem periculi communis habuissent.

Curt. 5, 10, 4 Itaque non illum modo, sed etiam Alexandrum spernebant, inde vires imperii repetituri, si regni iis potiri contigisset.

7, 11, 23 Cophes admissus suadere coepit Arimazi petram tradere gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione haerere non coegisset.

9, 8, 18 Quorum paucitate contempta rex quingentos Agrianos moenia subire iussit et sensim recedentes elicere extra muros hostem secuturum profecto, si fugere eos crederet.

Flor. prooem.: in brevi quasi tabella totam eius imaginem amplectar, non nihil, ut spero, ad admirationem principis populi conlaturus, si pariter atque insemel universam magnitudinem eius ostendero.

Flor. 1, 28 pag. 47 J.: ita Macedoniam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum nisi a caelo venturis hostibus videretur.

C. **II.** Participium fut. act. partes suscipit apodosis periodi hypotheticae, quae contra verum ficta coniunctivo imperfecti aut plusquamperfecti formatur:

Liv. 6, 38, 11 sed auspiciis magis quam novi exempli rogatione deterritum ut potius credam, cum ipsius viri facit ingenium . . . et quod eundem M.

Furium dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certe fractum priore anno in se imperium repetiturum.

Liv. 8, 17, 10 eo certamine superior Alexander, incertum, qua fide culturus, si perinde cetera processissent, pacem cum Romanis fecit.

Liv. 9, 29, 4 nec tantis apparatibus elatus de inferendo bello agitat, quieturus haud dubie, nisi ultro arma Etrusci inferrent.

Cf. etiam liberrimi usus exemplum:

Liv. 23, 44, 2: an dedituris se Hannibali fuisse accersendum Romanorum praesidium?

Plura exempla praebet Curtius nec desunt apud Florum:

Curt. 5, 13, 13 Iamque conspecti a barbaris erant et abeuntium agmen conspexerant nequaquam futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad proelium, quantum ad parricidium fuerat.

Curt. 6, 10, 15 Sed ne te mihi credidisse paeniteat, res ad me deferebatur a puero, qui non testem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, si coepisset audiri.

8, 2, 12 Quoque minus caedis puderet, iure interfectum Clitum Macedones decernunt sepultura quoque prohibituri, ni rex humari iussisset.

8, 3, 4 Ille acinacem strinxit percussurus uxorem, nisi prohibitus esset fratrum eius occursu.

Plura leguntur exempla Curt. 8, 3, 14; 8, 7, 7; 9, 7 22.

Flor. 2, 13 pag. 100 J.: odium ipsius regis, qui Pompei necem partium fato, non Caesari dederat, haud dubie idem in ipsum ausurus, si fuisset occasio [1]).

Tam varias significationes in uno participio futuri activi inesse etsi iam constat inter homines doctos, tamen non inutile fore arbitror me latius rem exposuisse ab usitatissimo profectum

---

1) Cod. Naz. praebet si expedisset.

usu usque ad liberrimum. Ea, quae nova mea sponte afferre conabar, clementer eos, qui plus vident in rebus grammaticis, iudicaturos esse spero.

## Caput III.

### § 8.

Si in libris Livianis persequi volumus usum participii futuri activi nude positi ipsius vestigiis, exemplorum collectionem addamus necesse est, omnia dilucidiora, non ampliora facientem:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Leguntur | in | decade | I. | : 28 |
| „ | „ | „ | III. | : 33 |
| „ | „ | „ | IV. | : 25 |
| „ | „ | „ | V. | : 14. |

Primo obtutu videbis usum, quod pertinet ad exemplorum numerum, satis sibi constare neque minus singula percensendo intelleges omnia fere participii fut. act. genera, et simpliciora et liberiora, per omnes operis totius partes aequaliter distributa et diffusa esse. Id unum miretur quispiam, quod Livius participium fut. act. substitutum in locum apodosis enuntiationis condicionalis contra verum fictae nisi in prima decade non videtur usurpasse. Attamen ipsam hanc structuram posteriores scriptores denuo receptam in deliciis habuerunt: id quod comprobari potest cum oratorum poetarumque posterioris aetatis exemplis quibusdam tum haud paucis Senecae philosophi locis.

Id autem non dubitabis, quin Livius participii fut. act. usum a priscis scriptoribus incohatum neque alienum sermoni cotidiano aevi Augustei auctoritate sua confirmaverit atque expoliverit, etsi nondum omnibus numeris absolverit et expediverit.

### § 9.

Ceterum — liceat inserere adnotationes quasdam — participiis fut. act. locis quibusdam iterum iterumque positis et coacervatis Livianis nec non Curtianis probari potest id quod Eduardus Wölfflinus in commentatione 'de arte Livii emendandi et elocutione Liviana' (Berolini 1864) pag. 29 s. f. docuit multum valere ad Livianum genus dicendi recentem scriptoris memoriam eorum, quae modo scripsit: cf. Liv. 21, 32, 1; 21, 32, 2; 21,

32, 5; Curt. 5, 2, 4; 5, 2, 8; 5, 2, 16, 5, 9, 10; 5, 9, 11; 5, 10, 4; 5, 10, 6; 5, 10, 7; 5, 10, 9.

Ne quae desiderentur eorum, quae necessaria putet aliquis ad usum Livianum penitus inspiciendum, breviter enumerare velim sub

I.) eos locos Livianos, ubi participium fut. act. non nude positum, sed coniunctum est cum particula.

II.) locos Livianos, quibus legitur ablativus absolutus part. fut. act.

III.) exempla Liviana, quae praebent futurus, a, um

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Ad I.) 3, 5, 1 | 21, 32, 10 | 31, 42, 5 | 44, 9, 10 |
| 7, 23, 6 | 21, 61, 1 | 34, 36, 5 | 44, 35, 14 |
| | 28, 26, 12 | 35, 50, 11 | 44, 35, 23 |
| | 30, 4, 10 | 36, 43, 10 | |
| | | 37, 23, 6 | |
| | | 40, 4, 10. | |

| | |
|---|---|
| Ad II.) 28, 15, 13 | 41, 19, 10 |
| 30, 10, 10 | 44, 11, 9 |
| 31, 36, 5 | 45, 35, 6 |
| 36, 41, 1. | |

Exempla eiusmodi in prima decade deesse videntur.

Usum adiectivi particip. futurus, a, um Livius in prima decade adamare videtur, in ceteris parcius admittere. Testimonio sint exempla:

Ad III.) praef. 12

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1, 1, 8 | 1, 56, 3 | 3, 2, 11 | 6, 12, 8 | 21, 52, 6 | 34, 36, 6 |
| 1, 8, 4 | 2, 23, 11 | 4, 12, 8 | 7, 26, 13 | 26, 5, 2 | 39, 6, 9 |
| 1, 25, 3 | 2, 50, 11 | 4, 29, 8 | 9, 45, 11 | 29, 5, 9 | 40, 9, 4 |
| 1, 38, 7 | 2, 51, 3 | 4, 51, 6 | 21, 21, 6 | 30, 16, 6 | 41, 3, 4 |
| 1, 42, 5 | 2, 52, 1 | 5, 21, 3 | 21, 21, 11 | 33, 20, 7 | 43, 2, 12. |

## Caput IV.

### § 10.

Curtiana exempla ad comparandum scriptorum usum adhibenda sunt: